

Universitätsbibliothek Wuppertal

Mavricii Havptii opvscvla

Haupt, Moriz

Lipsiae, 1875

De carminibus bucolicis Calpurnii et Nemeisani

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-5425](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-5425)

DE CARMINIBVS BVCOLICIS CALPVRNII ET NEMEISANI.

[dissertatio qua ad audiendam orationem pro loco in ordine philosophorum
Berolinensium rite obtinendo die XII mensis augusti anni MDCCCLIII invitat
Mauricius Haupt professor ordinarius designatus.]*)

In eis poesis Latinae reliquiis quae nulla quidem insigni bonitate excellunt, sed propter antiquitatem tamen probabilemque quandam mediocritatem non indignae sunt quae a grammaticis diligenter pertractentur, recte numerabimus carmina bucolica undecim quae, ut olim saeculo quinto et decimo et fortasse aliquot ante saeculis a non nullis factum est ita postea ab Iano Vlitio et abhinc annos quattuor et septuaginta ab Ioanne Christiano Wernsdorfio et post eum communi hominum doctorum consensu uni poetae Calpurnio adscripta sunt. ipsa autem haec opinio etiam si multo antiquiore testificatione niteretur, nihilo minus accurate esset expendenda, neque temere credendum testibus non exploratis, sed, quod neglectum adhuc esse miror, inquirendum esset in ipsa carmina investigandumque num quae forte contineant ex quibus etiam sine testium interrogatione iudicium fieri possit. itaque hac paulisper seposita poemata illa quam poterimus facere accuratissime examinabimus.

Nolumus autem disputandi initium inde sumere ut composita inter se carmina ex maiore aut minore suavitate atque elegantia generatim aestimemus. nam mediocritatis discrimina et quasi gradus constituentem facile fallet sensus: accedit quod et boni poetae non numquam carmina fecerunt non bona et mediocres

*) [Praeparaverat Hauptius horum carminum editionem, quae etsi nullo modo absoluta est tamen omnino supprimenda non videbatur. itaque Calpurnii ac Nemesiani bucolica coniuncta cum Gratii Nemesianique cynegeticis ab Hauptio recognitis perfecta hac opusculorum sylloga qualia ex schedis Hauptianis possunt recenseri edenda curabuntur.]

aliquando sui dissimiles facti quod valde placere posset protulerunt. quocirca missa ingenii ad persuadendum minus apta aestimatione rectius atque utilius versuum componendorum artem et consuetudinem aut constantem aut diversam explorabimus.

Itaque dignum est commemoratione quod in prioribus septem carminibus longa vocali quae est *o* in fine vocabulorum correpta contra severam antiquiorum poetarum regulam nusquam peccatum est: nam *puto* (vi 84) et *nescio* (i 21) breviata ea vocali posita ne ab antiquiore quidem arte abhorrent. distant autem ab hac arte quattuor posteriora carmina; in quibus antiqua licentia *o* correpta est in vocabulis *horreo* (viii 43) et *cano* (x 48, xi 41), sed novicia consuetudine palimbacchiorum instar sunt *expecto* (viii 26) *coniungo* (x 44) *concedo* (xi 42) *mulcendo* (viii 53) *laudando* (viii 80) et trochaei *ambo* (viii 17).

Porro quod molliter fluunt priorum septem carminum versiculi ex parte efficitur summa elisionum raritate. quam qui animadvertit, et libros sequetur sicubi elisionem tollunt et cavebit ne temere coniciendo poetae consuetudinem turbet. veluti cum in carmine iii 32 rectissime scriptum esset *te Lycida*, in codice autem Parisiensi *theliocida*, fuit qui Calpurnium fortasse *te o Lycida* scripsisse opinaretur. scilicet multorum librariorum haec erat consuetudo ut ad vocativos casus interiectionem illam supra adscriberent: ea in ipsum nomen perperam inlata monstrum illud peperit, in quo nihil latet praeter errorem. librorum autem ope elisio aliquotiens removenda est. nam in carmine iii 7 scribendum est non *neque enim vacat*, sed *nec enim vacat*, ut optimus omnium codex Neapolitanus docet. in eodem carmine versus 24 his verbis terminatur, *tu testis, Iolla, es*: sed libri Neapolitanus et Parisiensis ultimum vocabulum omittunt. tum inde a versu 70 haec leguntur, *Quod si dura times etiam nunc verbera, Phylli, Tradimus ecce manus: licet illae et vimine torto Scilicet et lenta post tergum vite domentur*: sed in eisdem libris prius et omissum est. deinde in versibus 94 et 95 vulgata exemplaria haec habent ineptissima, *Ipse procul stabo vel acuta carice tectus Vel propius latilans vicina, ut saepe, sub ara*: verum ut plerique libri ignorant, rectissima autem sunt quae in eisdem illis duobus codicibus scripta sunt, *vicina saepe sub orti*. porro in carmine iii 153 meliores quidem libri haec praebent, *siquando in montibus istis Dicar habere larem*, sed non nulli prae-

positionem omittunt; possumus autem ea carere et tam facile erat addere eam quam omittere. magis dubitari posset, nisi tolleretur dubitationem explorata poetae consuetudo, in his versibus, III 149 ss., *Verum quae imparibus modo concinuistis avenis, Tam liquidum, tam dulce canunt ut non ego malim Quod Peligna solent examina lambere nectar.* sed ante quam de elisione dicam turpi vitio hi versus liberandi esse videntur. nam *Peligna* quidem Ascensius pulchre restituit, cum in libris fere *peluina* scriptum esset, sed ineptissime apes *lambere nectar* dicuntur, sive mel intellegis, quod propter Theocritum illud κρέσσον μελομένηω τρω ἀκουόμεν ἢ μέλι λείχειν veri simillimum est, sive sucum florum, quos Calpurnius II 20 nectareos dicit. latet longe aliud. nam *solent* nihil est nisi commentum minime scitum: in libris enim plerisque *sonant* scriptum est. id quo pertineret intellexit is qui exemplar Daventriense anno MCCCCLXXXI edidit. nam quae pastores avenis concinuerunt, ea liquidum et dulce canere sine exemplo et absurde dicuntur. itaque scribendum est *tam dulce sonant*, ibi autem ubi *sonant* scriptum est non rimanda est litterarum similitudo, sed expellendum vocabulum quod in hunc versum ex praecedente inlatum est et quaerendum quod aptius sit. neque displicet quod in Daventriensi illo exemplari scriptum est *Quod Peligna legunt examina*: quamquam alia non minus apta excogitari possunt*). sed in primo versu etsi intellegi et fortasse placere possunt in pares avenae (nam, ut Ovidii verbis utar, *fistula disparibus paullatim surgit avenis*), mirum tamen esset si poeta consuetudinem suam intermisisset et longam adeo vocalem, quod nusquam fecit, elisisset, cum scribere posset *Sed quae disparibus modo concinuistis avenis.* deinde aliquot tantum libri habent *quae imparibus*, in aliis scriptum est *quam paribus*, in Neapolitano *quem paribus*. quae ut concedo posse ex illo facta videri, tamen verum habeo *quae paribus*, quod pars librorum haud sane meliorum praebet Ianusque Vlitius coniectura adsecutus est. rectissime enim, siquid video, *paribus avenis*, 3 i. e. pari arte¹, Corydon et Amyntas concinuisse dicuntur, *formosus uterque nec impar voce sonans*, ut de aliis alibi (II 3) poeta dicit. removenda igitur elisio est. denique in carmine v. 78 ss. Neapolitani codicis auctoritate confirmatur quod in non nullis

*) [Editurus erat Hauptius Peligna parant examina.]

libris scriptum est, *Providus (hoc moneo) viventia sulphura tecum Et scillae caput et virosa bitumina porta Vlceribus laturus opem, nec Brutia desit Dura tibi: liquido picis unguine terga, memento, si sunt rasa, linas: receptum est non recte ex aliis codicibus et liquido simul unguine.* praeterea non pertinet ad elisionem coalescens cum antecedente vocabulo suaque vocali privatum est. itaque scribendum est I 20 *descriptast*, II 49 *ausast*, VI 7 *credibilest*, et scribi posset V 404 *Hac tibi nitendumst*, labor hic in tempore noster *Gnavaque sedulitas redit et pastoria virtus*, nisi est plane omitteret liber Neapolitanus: ceterum *Hac* scribendum esse, cum idem liber *Hoc*, reliqui *Sic* habeant, Glaeserus intellexit; mox autem *hic* ex eodem Neapolitano codice adsumpsi, quoniam ineptum est ceterorum librorum *hoc*, neque aptius Glaeseri *hinc*. itaque remotis qui specie fefellerunt erroribus elisiones quae certae esse videantur in his septem carminibus, i. e. in septingentis et duobus de sexaginta versibus (nam tollendus est ex carmine VI versus 54, quem praeter alios libros ipse ille Neapolitanus atque excerpta Parisiensia et Berolinensia omittunt), in tot igitur versibus certae elisiones inveniuntur octo. adscribam versiculos.

I 46 *Prome igitur calamos et siqua recondita servas*

II 30 *Ille etiam parvo dixit mihi non leve carmen*

III 42 *Mella etiam sine te iurabat amara videri*

III 55 *Ille ego sum Lycidas quo te cantante solebas*

III 58 *Atque inter calamos errantia labra petisti*

III 77 *Saepe etiam leporem decepta matre paventem*

III 82 *Qui metere occidua ferales nocte lupinos*

V 60 *Verum ubi declini iam nona tepescere sole.*

adparet in carminibus quarto sexto septimo, quorum sunt versus cccxxxvii, nullam eiusmodi elisionem esse. de reliquis quattuor carminibus primum secundum quintum singula singulas habent elisiones, quinque in tertio carmine inveniuntur. unde non inepte suspicere hoc carmen factum esse prius quam reliqua et arte nondum prorsus exulta. praeterea intellegimus hunc poetam eam legem secutum esse ut nec longam vocalem elideret nec brevem in alio quam in primo versiculi pede. itaque cum Tibullus Lygdamus Ovidius longae vocalis in brevi syllaba elisionem non admisissent nisi in primo versus pede, de qua re ante hos tredecim annos satis exposui, Calpurnius eo diligentiae

progressus est ut vel breves vocales in hoc tantum pede elideret. inveniuntur quidem in eius carminibus hodie tria exempla elisae in medio versu brevis vocalis. quae elisio cum in uno vocabulo *que* fiat, crederem in hoc uno vocabulo Calpurnium diligentiam remisisse, nisi eadem plane ars non elidendarum nisi in primo versus pede vocalium in alio eiusdem, ut videbimus, aetatis carmine, de quo postea dicitur, inveniretur ipsaque illa tria
 4 exempla vocalis in alia versus parte elisae admodum incerta essent. nam unus trium illorum versicolorum aperte depravatus est, ex reliquis duobus elisio facili opera removeri potest. quam ob rem horum versuum considerationem, ut pote de quibus certe dubitari magno opere possit, in hanc partem disputationis distuli. itaque in carmine III haec leguntur (v. 36 ss.), *Ecce nihil querulum per te, Meliboee, sonamus, Per te secura saturi recubamus in umbra, Et fruimur silvis Amaryllidos, ultima nuper Litora terrarum, nisi tu, Meliboee, fuisses, Vltima visuri trucibusque obnoxia Mauris Pascua Geryonis, liquidis ubi cursibus ingens Dicitur occiduas impellere Baetis arenas.* leve est quod *visura* scriptum est in codice Neapolitano: nam quin *visuri* verum sit non videtur posse dubitari: sed idem liber et quidam alii non *trucibusque* habent, verum *trucibus*, omisso *que*. iam qui animum diligenter attendit, mirum est nisi videat alterum illud *ultima* non recte dictum esse. nam si cum eis quae praecedunt hoc vocabulum coniungimus, adparet loco non iusto positum esse: debebat enim sic potius dici, *ultima nuper, ultima terrarum — litora visuri**: si *ultima* dici putamus Geryonis pascua, obnoxia illa *trucibus Mauris*, inutile est additamentum. itaque non dubito quin hi versus gravi vitio depravati sint, et persuasi hoc olim Godofredo Hermanno: quamquam certam emendationem frustra temptavi. neque tamen nullam haberet veri similitudinem, siquis post *trucibus* vocabulum excidisse suspicaretur et deinde versum ita completum esse ut *ultima* adderetur. potuit enim poeta sic scribere, *ultima nuper Litora terrarum, nisi tu, Meliboee,*

*) [Notaverat in schedis Hauptius Calpurnium fortasse scripsisse *ultima nuper, ultima terrarum — litora visuri torvis* (vel *tetricis cum Lachmanno*) *obnoxia Mauris. ita in Neapolitano Propertii codice* (4, 48, 24) *torvi in troci esse corruptum. sed traiciendum potius videri litora ita ut v. 40 scribatur, visuri, trucibus obnoxia litora Mauris, brevi syllaba in caesura producta, quod admisit Calpurnius* 5, 400. 7, 45. 84.]

fuisses, Visuri, trucibus tristes obnoxia Mauris Pascua Geryonis. illud manifestum est, non certam esse elisionem in *que* vocabulo, quod ne habent quidem meliores libri. neque multo certius est quod in eodem carmine (v. 132 ss.) legitur, *Numine Caesareo securior ipse Lycaeus Pan recolit silvas et amoena Faunus in umbra Securus recubat placidoque in fonte lavatur Nais et humanum non calcatura cruorem Per iuga siccato velox pede currit oreas.* poterat hic quoque elisio facillime evitari, si scribebatur, quod sane existimo Calpurnium scripsisse, *placido quin fonte lavatur Nais*: et memini idem quondam Carolo Lachmanno placere. denique non longe a fine ultimi carminis (vii 76) haec scripta sunt, *si propius venerandum cernere numen Sors dedit et praesens vultumque habitumque notasti.* sed minime videtur probabile poetam legis quam tam anxie observabat inmemorem hic fuisse aut eam neglexisse neque vidisse quomodo coalescentes vocales evitare posset. nam etsi ordo ille verborum quem libri habent usitatissimus est, potuit tamen dici *habitum vultumque*, ut Tacitus dixit ann. xvi 22; potuit dici plurativo numero *vultus habitusque*, ut in hoc Martialis versiculo (viii 65 3), *Si tibi tunc isti vultus habitusque fuissent.* utut est, illud constat, rarissimam esse in his carminibus elisionem, sive eam undeciens poeta admisit sive, ut puto, octiens. iam contemplamini posteriora quattuor carmina. ea cum ambitum habeant prioribus dimidia parte minorem (continent enim versus cccviii), tot elisionis exempla praebent ut eundem poetam in illo versuum dclviii numero non octiens vel undeciens, sed¹ fere octogiens vocalem elisurum fuisse ratio demonstrat: numeravi enim in his quattuor carminibus elisiones xxxviii, quarum non nullae (vii 21, viii 14 32) in longa vocali factae sunt, dimidia pars extra primum pedem est.

Adgnosceimus igitur in septem prioribus carminibus artem longe aliam et multo diligentioremi sive rectius dicemus magis anxiam quam in quattuor reliquis. sed haec tamen quattuor carmina in alia re eaque satis memorabili maiore versuum elegantia praestant. nam in prioribus septem poematis propemodum decima versuum pars, id est versus plus quam septuaginta, post quartum trochaeum incisionem habet. eius incisionis negligentia in quattuor extremis carminibus studiosius vitata neque saepius quam sexiens admissa est (viii 44, viii 41. 61, x 55, xi 11 14).

Praetereo alia quae cum minus momentum habere videntur in comparanda versuum ratione, tum sine longa et molesta disputatione declarari non possunt: neque opus est ut minima omnia scrutemur atque excutiamus, cum ea quae attulimus ad rem diiudicandam sufficiant. quid enim dicemus, eundemne poetam haec undecim carmina composuisse, sed arte in eodem poesis genere plane diversa, an fatebimur duos hic deprehendi in versibus faciendis inter se dissimiles poetas? illud, scio, eis placebit qui strenue agere fidemque servare sibi videntur, si pro eo quod diuturna memoria confirmatum putant conquisitis omnibus artificiis pugnant ratiunculasque congerunt miserrimas et quadam quasi longae possessionis praescriptione, quae nulla est in litteris, incredibilia tutantur. qui enim sperem in hac levissima causa illud hominum genus sinceriore et subtiliore iudicio usurum esse quam in gravissima illa quaestione quae est de carminibus Homericis? ne de insigni Theotiscaae poesis monumento dicam, de quo quae Carolus Lachmannus verissima ac stabili ratione exposuit, ea nuper homo quidam illarum rerum cognitione leviter tinctus, sed perditae sagax, difficilibus nugis et paene deliramentis confutasse et sibi et aliis non nullis ad iudicandum quam ad intellegendum promptioribus visus est. sed ut ad Calpurnium redeam, de eis quae memoria prodita sunt postea videbimus: nunc aliud expromam diversae horum carminum originis argumentum. nam expromere me possum dicere argumentum de quo, quasi nullum esset aut levissima Wernsdorfii disputatione profligatum, tacuerunt omnes qui post Wernsdorfium de his carminibus scripserunt.

Itaque Wernsdorfius quod carminibus tertio et nono conplures versiculi communes sunt eo explicare sibi visus est ut diceret undecim bucolica carmina composuisse Calpurnium quod totidem essent Theocriti, horum autem undecim carminum duo inter se fecisse consimilia exemplo item Theocriti, quippe cuius tertium carmen (χωμασπής) et undecimum (κύκλωψ) in eodem versarentur argumento. scilicet Vergilianorum decem bucolicorum carminum numerum veteres grammaticos eo rettulisse dicit (poet. Lat. min. t. 2 p. 24) quod non plura essent Theocriti. iubet nos conferre Tib. Claudii Donati vitam Vergilii, in qua haec <vulgo> leguntur <paullo emendatiora in codice Bernensi scripta> (23, 98), *quaeri solet cur non plures quam decem eclogas con-*

scripserit. quod nequaquam mirandum videbitur ei qui considera-
verit aetatem scenarum pastoralium, quae ultra hunc numerum
non potest proferri, praesertim cum ipse poeta circumspiciat Theo-
criti, ut ipsa res indicat, videatur metuere ne illa ecloga quae
Pollio inscribitur minus rustica videatur, cum ipsam sic praestruat
ipse, dicens 'Sicelides musae, paullo maiora canamus': et idem
similiter in aliis duabus fecit. hic equidem valde laudo Werns-
dorfium quod ineptissimo aetatis vocabulo, in quo ne Ioannem
quidem Fredericum Gronovium offendisse miror, varietatem sub-
stituit, coniectura egregia (nunc per codicem Bernensem confir-
mata), quam significasse satis habuit: sed de numero carminum
bucolicorum Theocriti, quem Vergilius imitatus sit, haec Donati
disputatio, quam stolidam stolidae quaestionis solutionem esse
Heynio adsentior, nullum continet verbum. neque alii, quantum
scio, veteres grammatici narraverunt Vergilium Theocriti exemplo
decem scripsisse eclogas: verum prudenter Servius in initio
commentariorum suorum *sed est sciendum inquit septem eclogas
esse mere rusticas, quas Theocritus decem habet.* similiter Donatus
(24, 104), *numerus eclogarum manifestus est: nam decem sunt.
ex quibus proprie bucolicae septem esse creduntur: nam tres ulti-
mae proprie bucolicae dici non debent, Pollio scilicet, Silenus
et Gallus.* hinc autem profectus Wernsdorfius mirabiliter dis-
putat. existimat enim tertium Theocriti carmen atque undeci-
mum, cum inter se similia sint (queritur enim in illo caprarius
de Amaryllidis, in hoc Polyphemus de Galat caesuperbia), quasi
pro uno carmine numeranda esse. tam perversa subtilitate expli-
candum esse putat cur Servius rusticas Theocriti eclogas nume-
raverit decem, cum tamen undecim essent: sed adscribam ipsa
Wernsdorfii verba, nequis me cavillari aut calumniari suspicetur.
'hoc pacto igitur' inquit 'Calpurnius numerum quidem undecim
eclogarum Theocriti absolvit, ita tamen', ut, duabus similibus
pro una numeratis, dici non possit numerum a Vergilio receptum
et a grammaticis probatum excessisse. ceterum e manifesta
Theocriti, quod ad numerum eclogarum attinet, imitatione cum
illud certo colligitur, ab uno auctore scriptas esse undecim eco-
logas, neque eas inter Calpurnium et Nemesianum esse dividendas,
tum vero quae e similitudine duarum eius eclogarum quibusdam
eruditis subortae sunt dubitationes, eas allata haecenus ratione
plane tolli posse et refutari.' miror vero ad tam ridiculas nugae

aliquem delabi potuisse; multo etiam magis miror fuisse quibus hac Wernsdorfii disputatione et aliis quae similiter nugatur quae-
stio omnis confecta esse videretur. equidem in carminum nu-
mero tricandum esse omnino nego: quod siquis tamen aliquid
inde colligi posse putat, certe minore nugandi perversitate
existimabit septem carmina bucolica fecisse Calpurnium quod
tot essent mere rustica, ut Servii verbis utar, Vergilii Maronis.
nam hoc nimis ineptum est quod Wernsdorfius undecim et Theo-
criti et Calpurnii scilicet carmina quasi decem esse putavit;
ineptum etiam quod decem eclogas mere rusticas, quas Servius
Theocritum habere dicit, decem vel potius undecim priora Theo-
criti carmina esse existimavit. quid enim? num rusticum at-
que adeo mere rusticum carmen pharmaceutria est? itaque si
alterum idyllium Theocriti ex hoc rusticorum carminum numero
7 eximimus, ut facere^l debemus, undecimum illud carmen, quo
Polyphemi querellae continentur, decimum erit. quam ob rem,
ut aliquem saltem fructum ex molesta ineptiarum refutatione
percipiamus, utemur hac ratione eo ut Servium aut quos secutus
est grammaticos carmen vicesimum (βουκολιστον) et vicesimum
septimum (δαριστόν) non adscripsisse Theocrito dicamus, ut sane
non sunt Theocriti: nam rustica profecto sunt et plane bucolica.

Missis autem nugis similitudinem illam carminum quae Cal-
purnio tribuuntur tertii et noni, qua Wernsdorfius mirabiliter
abusus est, consideremus. itaque in tertio carmine Lycidas ad
Phyllidem has querellas mittit (v. 51 ss.),

*te sine, vae misero, mihi lilia nigra videntur
nec sapiunt fontes et acescunt vina bibenti:
at si tu venias, et candida lilia fient
et sapient fontes et dulcia vina bibentur.*

*ille ego sum Lycidas quo te cantante solebas
dicere felicem, cui dulcia saepe dedisti
oscula nec medios dubitasti rumpere cantus
atque inter calamos errantia labra petisti.
ah dolor, et post haec placuit tibi torrida Mopsi
vox et carmen iners et acerbae stridor avenae?
quem sequeris, quem, Phylli, fugis? formosior illo
dicor, et hoc ipsum mihi tu iurare solebas.
sum quoque divitior: certaverit ille tot haedos
pascere quot nostri numerantur vespere tauri.*

*quid tibi quae nosti referam? scis, optima Phylli,
quam numerosa meis siccetur bucula mulctris
et quam multa suos suspendat ad ubera natos.
sed mihi nec gracili sine te fiscella salicto
textitur et nullo tremuere coagula lacte.*

haec omnia, praeter Mopsi inrisionem, eadem sunt et alio quidem ordine, sed eisdem pleraque verbis dicta in carmine nono. in quo Idas Donaces absentiam ita queritur (v. 27 ss.),

*interea, tamquam nostri solamen amoris
hoc foret aut posset nostros medicare furores,
nulla meae trinis tetigerunt gramina vaccae
luciferis, nullos libarunt amne liquores,
siccaque fetarum lambentes ubera matrum
stant vituli et teneris mugitibus aera complent.
ipse ego nec molli iunco nec vimine lento
perfece calathos cogendi lactis in usus.*

*quid tibi quae nosti referam? scis mille iuventas¹
esse mihi, nosti numquam mea mulctra vacare.*

8

*Idas ille ego sum, Donace, cui saepe dedisti
oscula nec medios dubitasti rumpere cantus
atque inter calamos errantia labra petisti.
heu heu nulla meae tangit te cura salutis?
pallidior buxo violaeque simillimus erro,
omnes ecce cibos et nostri pocula Bacchi
horreo nec placido memini concedere somno.
te sine, vae misero, mihi lilia fusca videntur
pallentesque rosae nec dulce rubens hyacinthus,
nullos nec myrtus nec laurus spirat odores:
at si tu venias, et candida lilia fient
purpureaeque rosae et dulce rubens hyacinthus,
tunc mihi cum myrto laurus spirabit odores.*

in tertio carmine omnia pulchra et concinna sunt, hic quaedam inepta, illud praesertim quod vaccae cibo et potu abstinuisse dicuntur. sumptum hoc est e Vergilii ecloga quinta, ubi haec leguntur (v. 24 ss.),

*non ulli pastos illis egere diebus
frigida, Daphni, boves ad flumina, nulla nec annem
libavit quadrupes nec gramini attigit herbam.*

*Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
interitum montesque feri silvaeque locuntur.*

verum agitur ibi de fabulosi illius Daphnidis interitu, quem similiter nec minus recte Theocritus boves luxisse dixerat, neque inepte, quamquam ita ut imitatore adgnoscas, Moschus eadem ad luctuosam Bionis mortem transtulit; Donaces absentiam, quam ab Ida et Alcone stupratam parentes clausurunt, Idae vaccas tam graviter dolere absurdum est: habent enim eiusmodi hyperbolae in re aut fabulosa aut gravi ac talibus coloribus digna idoneam excusationem, in tenui re absonae et ridiculae sunt. si quis aliter iudicet, illud tamen fateri debet, nullum poetam se ipsum ita compilare ut hic factum est, si haec duo carmina unius poetae Calpurnii sunt. inepte enim Wernsdorfius duorum illorum Theocriti carminum similitudinem comparat, quae carmina similia inter se quodammodo sunt argumento, sententiis et verbis dissimilia. accedit quod quae in tertio Calpurnii carmine moderata oratione dicta sunt hic absurde exaggerantur, nisi hoc non est absurdum, Idam, puerum illum quindecim annorum, mille habere iuencas. atque illa quoque quae in tertio carmine de pristino Phyllidis et Lycidae amore narrantur ad Donacem istam a duobus pueris constupratam absurde translata sunt. sensit hoc Wernsdorfius, sed veritatis admonitioni adeo noluit parere ut putaret haec omnia commisisse poetam ut exemplum scilicet Theocriti sequeretur et duo carmina faceret inter se similia. nos neque quin duobus poetis haec carmina

adscribamus neque uter utrum¹ compilaverit dubitabimus. compilavit autem satis inmodeste: nam praeter illa quae demonstravimus furta deprehendimus alia neque minus manifesta. etenim quos supra ex carmine tertio excerpimus versus,

*quem sequeris, quem, Phylli, fugis? formosior illo
dicor, et hoc ipsum mihi tu iurare solebas,*

hi quoque versus partim translati sunt in nonum carmen, in quo haec leguntur (v. 74 ss.),

*quin etiam fontis speculo me mane notavi,
nondum purpureos Phoebus cum tolleret orbis
nec tremulum liquidis lumen splenderet in undis;
quod vidi, nulla tegimur lanugine malas:
pascimus et crinem: nostro formosior Ida
dicor, et hoc ipsum mihi tu iurare solebas,*

*purpureas laudando genas et lactea colla
atque hilares oculos et formam puberis aevi.*

nequis autem putet hunc poetam multa hic de suo addidisse, nempe obversati sunt eius animo versus aliquot carminis secundi (88 ss.),

*fontibus in liquidis quotiens me conspicio, ipse
admiror totiens: etenim sic flore iuventae
induimur vultus ut in arbore saepe notavi
cerea sub tenui lucere Cydonia lana.*

idem Calpurnii carmen secundum ita incipit,
*Intactam Crotalen puer Astacus et puer Idas,
Idas lanigeri dominus gregis, Astacus horti,
dilexere diu, formosus uterque nec inpar
voce sonans.*

hinc sumptum est initium noni carminis,
*Formosam Donacen Idas puer et puer Alcon
ardebant rudibusque annis incensus uterque
in Donaces Venerem furiosa mente ruebant.*

denique decimi carminis alter versiculus, qui hic est,
torrentem patula vitabant ilice solem,
ex quinto carmine, ubi pariter alter versiculus est, transcriptus est.

Quae cum ita sint, parebimus, puto, codici illi Thaddaei Vgoleti, in quo quattuor posteriora carmina alii quam priora septem poetae attributa erant. neque ulla est causa quin putemus esse Nemesianum, cuius nomen in illo codice adscriptum erat. nam cum reputo aliud esse bucolicum poesis genus, aliud didacticum illud ad quod cynegetica Nemesiani pertinent, nihil adgnosco unde efficiatur cynegetica illa et haec quattuor bucolica carmina non posse ab eodem poeta facta esse. immo cynegeticorum et harum quattuor eclogarum in eis rebus quibus a prioribus septem¹ diversas esse docui satis magnam similitudinem animadvertere videor. nam *o* vocalem novicio more correptam praebet in cynegeticis Nemesiani *exerceto* (194) et *devotio* (83), quamquam hoc excusationem habet. elisiones sunt quinta fere parte frequentiores, parvo numeri discrimine, elisionum ipsarum nullo. saepius quam in quattuor eclogis versus post quartum trochaeum inciditur, sed neque nimis frequenter, quippe tredeciens in versibus cccxxv, et ut diversum carminis

genus etiam versuum quandam diversitatem gignere potuerit. addo, quamquam leve est, *etenim*, quo vocabulo non omnes poetae utuntur, apud Calpurnium bis legi (II 89 et V 49), in quattuor postremis eclogis nusquam et pariter nusquam in cynegeticis.

Sed recte dixeris his quae composui nihil demonstrari; non mirum esse, si Nemesiani consuetudo cum illis eclogis in eiusmodi rebus congruat in quibus nihil habeant singulare, sed Calpurnianorum tantum carminum disparilitatem prodant; multa esse carmina consimilis fere artis atque consuetudinis. neque volui equidem aliud ostendere quam posse eclogas illas esse Nemesiani. quid vero, si eas Nemesiano probabili argumento retribuero? quod cum profero, profero simul documentum insignis levitatis qua tota haec quaestio adhuc tractata est. in ecloga enim x 23 s., ubi poeta in Bacchi laude celebranda versatur, haec dicit,

*hunc pater omnipotens venturi providus aevi
pertulit et iusto produxit tempore partus.*

adnotaverunt interpretes et ipse Wernsdorfius similes esse hos duos versus cynegeticorum (49 s.),

*ut pater omnipotens maternos reddere menses
dignatus iusti conplerit tempora partus.*

haec autem verba, *maternos reddere menses dignatus*, a Statio sumpta sunt, qui haec habet in Thebaidis VII 467 s.,

cui tu dignatus limina vitae

praereptumque iter et maternos reddere menses:

imitatus est autem Statio versus Ovidii met. III 340 ss., *Inperfectus adhuc infans genetricis ab alvo Eripitur patrioque tener, si credere fas est, Insuitur femori maternaque tempora complet*, qui versus simul cum Statio cynegeticorum scriptori obversati esse videntur: nam Statio imitatio aperta est, id est eiusdem poetae a quo octavae eclogae versus 84 et 85 petiti sunt,

*namque hic in silvis praesens tibi fama benignum
stravit iter, rumpens livoris nubila pennis:*

nam ne hic quidem interpretes inmemores fuerunt versiculorum Statio Theb. XII 842 848,

*iam certe praesens tibi fama benignum
stravit iter,*

et *siquis adhuc praetendit nubila livor.*

in Calpurnii carminibus nulla est Statio imitatio: nam quod

Wernsdorfius haec¹ verba III 87, *Me quoque facundo comitatus*⁴¹ *Apolline Caesar Respiciat, montes neu dedignetur adire Quos et Phoebus amat, quos Iuppiter ipse tuetur*, sumpta esse putavit ex Statii silvis (v 1 44 ss.), ubi haec leguntur, *Nos tibi, laudati iuvenis rarissima coniunx, Longa nec obscurum finem latura perenni Temptamus dare iusta lyra, modo dexter Apollo Quique venit iuncto mihi semper Apolline Caesar Adiuat*, fefellit eum levis aliquot verborum in dissimili sententia similitudo. (nec rectius 6, 44 ss. ubi *pendulus apri Dens sedet et nivea distinguit pectora luna*, expressum diceretur ex Statii Theb. VIII, 689 *niveo lunata monilia dente*; aut 6, 53 *terga sedent* ex Statii Theb. VIII, 687 *colla sedent*.) sed quod in cynegeticis Nemesiani flosculum agnovimus aut ex decima ecloga sumptum aut hinc illuc translatum et simul apertum Statiani flosculi furtum, cuius simile octava ecloga continet, hoc, nisi omnia fallunt, codici illi e Germania adlato, in quo Vgoletus postremas quattuor eclogas Nemesiano adscriptas esse repperit, fidem adferunt non contemnendam. addo aliud. *lactis fluores* qui prius dixerit Nemesiano cyn. 227 equidem novi neminem. utitur fluoris vocabulo Cornelius Celsus de liquido ventre dicens, de similibus rebus Scribonius Largus (et Samonicus v. 555); nam quod Augustinus libro de civitate dei VII 16 Varronem in libro selectorum deorum provinciam fluorum menstruorum Iunoni adsignasse dicit, incertum est suone an Varronis verbo utatur: ad omnem fluxum transtulerunt Appuleius Arnobius Solinus (Ausonius (Mos. 366, 446)); Diomedes cum dixit p. 445 P. *ταυτολογία est eiusdem dictionis in eadem sententia supervacua repetitio, ut est 'flens lacrimarum fluorem fudit,'* nisi ipse hoc exemplum finxit, certe non sumpsit a scriptore paullo antiquiore: sed eundem illum *fluorem lactis* invenimus in ecloga x 68; nam ut liquoris vocabulo *fluorem* substituamus Neapolitani libri auctoritas postulat, ad quem alii codices accedunt. quod autem Flavius Vopiscus in vita Numeriani Nemesianum halieutica cynegetica nautica scripsisse narrat, bucolica carmina non commemorat, nimirum non enumerat Nemesiani carmina, sed mentionem facit eorum quae maxime memorabilia esse viderentur. ceterum, ut hoc addam, Godofredum Bernhardium video in historia litterarum Latinarum p. 456 pro nauticorum vocabulo substituere *ixeutica*. in quo si codicem aliquem sequitur, minime repugno; sin coniectura est facta propter versus illos ixeuticorum

quos Gibertus Longolius protulit, furtim, ut ait, in bibliotheca porcorum salvatoris Bononiensis ab Hieronymo Boragineo Lubecensi descriptos, nititur illa coniectura fundamento infirmissimo: nam nescio sane utrum sit mentitus Boragineus an nomen tantum Nemesiani fallaci opinione excogitatum, sed Nemesiani illi versus esse non possunt.

Iam postquam horum bucolicorum carminum diversitatem satis demonstravimus et postremas quattuor eclogas Nemesiano minime inepte attributas esse docuimus, explorandum accuratius nobis est cui poetae aut quibus poetis in antiquis exemplaribus haec undecim carmina adscripta sint. itaque cum in impressis exemplaribus vetustioribus omnes undecim eclogae uni Calpurnio attributae essent, circa finem saeculi quinti decimi Angelus Vgoletus eas inter Calpurnium et Nemesianum ita divisit ut huic quattuor postremas adscriberet: additum est autem in fine exemplaris ab Vgoletto editi 'Impressum Parmae per Angelum vgoletum: E vetustissimo¹ atque emendatissimo Thadaei Vgoletti codice e germania allato in quo Calpurnii et Nemesiani vti impressi sunt tituli leguntur.' habent vero Calpurnii carmina in Parmensi exemplari hunc titulum, 'Titi Calpurnii Siculi Bucolicum carmen ad Nemesianum Karthaginensem incipit,' Nemesiani quattuor carmina hunc, 'Aurelii Nemesiani Poetae cartaginensis Aegloga prima incipit.' apographum codicis illius Germanici est inter libros bibliothecae Riccardianae: de quo quae Laurentius Mehus in praefatione editarum a se epistularum Ambrosii Traversarii p. xxxviii narrat infra posui. Poggii verba sunt in epistola ad Niccolum data Romae xxviii Maii 1423 (ep. xx pag. 68 meae edit.), *allatus mihi ex Colonia xv liber Petronii Arbitri, quem curavi transcribendum modo, quem illac iter feci. mittas ad me oro Bucolicam Calpurnii et particulam Petronii, quas misi tibi ex Britannia* etc. postea integram Bucolicam Calpurnii nos habuimus beneficio Nicolai Angeli Bucinensis, qui anno mccccclxxxii contulit tam Calpurnium quam Nemesianum cum vetustissimo codice quem e Germania Florentiam attulit Thadaeus ille Vgoletus Parmensis, Matthiae Corvini Pannoniae regis bibliothecae praefectus, vir in utraque pagina doctissimus. eclogae Calpurnii ac Nemesiani ab Angelo collatae ac marginalibus animadversionibus locupletatae adservantur in codice membranaceo bibliothecae Riccardianae (L. III num. xiv in 4. vide catal. cod. Riccardianorum

pag. 90), ubi in fine Calpurnii manu Angelii animadvertitur, 'Ex vetustissimo Codice e Germania allato hic est transcriptus titulus: finis Bucolicorum Calphurnii. Aurelii Nemesiani Poetae Carthaginensis Ecloga prima etc. ad quarum calcem legitur, Contuli ego Nicolaus Angelius hunc codicem cum multisque (sic) aliis, et cum illo vetustissimo Codice, quem nobis Thadeus Vgoletus Parmensis Pannoniae Regis Bibliothecae praefectus e Germania allatum accommodavit, in quo multa carmina sunt reperta anno salutis MCCCCLXXXII.' non quaeram quam antiquus ille codex fuerit; nam solebant illa aetate plurimi de scriptis codicibus nimis magnifice loqui: quamquam neque quicquam causae est quin valde antiquum eum fuisse putemus neque eorum librorum in quibus omnes undecim eclogae uni Calpurnio tributa sunt ullus est quem constet antiquiorem esse saeculo quinto decimo: illud demonstrabo, non in solo illo libro quattuor carmina Nemesiano adscripta fuisse. non utar eo quod Caspar Barthius adversariorum xxxiii 4 in manuscripto libro Palatino, olim Ianotii Maneti, Calpurnio omnes undecim eclogas clare vindicari scribit; nam Barthio numquam tuto fidas: sed codicem Gaddianum plut. lxxx 12, saeculo xv scriptum, post 'Calphurnii ad Nemesianum Carthag.' eclogas 'Aureliani Nemesiani Carthag. ecl. iii' habere Bandinius narrat. deinde in codice traditionum monasterii Priflingensis, qui editus est in monumentorum Boicorum volumine xiii, p. 439 inter alios libros monasterii prius commemorantur Bucolica Aureliani, tum, interiectis aliorum librorum nominibus, 'Bucolica Calpurnii.' denique, quo res confici mihi videtur, codex omnium optimus Neapolitanus, de quo postea accuratius dicam, nullam quidem habet inscriptionem (nam quod initio primi carminis adscriptum est *Calpurnii eclogae et octavi Nemesiani eclogae*, factum id est saeculo xvii), sed post finem carminis undecimi ab antiqua manu quae hunc librum scripsit haec addita sunt, *Aureliani Nemesiani Cartag. bucol. Deo gratias Amen.* peccaret autem contra artis regulas si quis in emendandis his carminibus Neapolitani codicis auctoritatem, ut par est, ceteris libris anteponeret, sed huic subscriptioni fidem temere denegaret. existimandum potius est Calpurnianorum carminum inscriptionem et subscriptionem carminumque Nemesiani inscriptionem negligentia aut huius librarii aut alius antiquioris omissas, illa autem subscriptione partem veritatis conservatam esse. itaque si hanc

quaestionem ad librorum auctoritatem veteremque memoriam revocamus, testimoniorum quoque fide satis constare intellegimus haec undecim carmina non unius esse Calpurnii, sed quattuor postrema Nemesiani. neque momentum facit quod in libro quodam paullo antiquiore aliquot Nemesiani versiculi Calpurnio adscripti sunt. codex est enim Parisiensis (*Notre Dame 188*), saeculo XIII scriptus, qui excerpta ex poetarum Latinorum carminibus continet, idem codex aut persimilis ei quo Iosephus Scaliger usus est in elegiis Tibulli atque in culice Aetna panegyrico Pisonis. is igitur liber Calpurnii quoque non nullos versus continet ex eclogis II III IIII V VI desumptos, quorum plerique inveniuntur etiam in codice quodam Berolinensi (*ms. Diez. b. Sant. 60*) inter 'flores poetarum', partemque eorum Vincentius Bellovacensis in specula doctrinale et naturale rettulit. habent autem illi versus in Parisiensi codice hanc inscriptionem, *Scalpurius in bucolicis*, in Berolinensi hanc, *Calphirius in bucolicis*: sed Calpurnii versibus in utroque libro adiecti sunt hi, *Levant et carmina curas. Non hoc semper eris: perdunt et gramina flores, Perdit spina rosas, nec semper lilia cudent, Nec longum tenet uva comas, nec populus umbras. Donum forma breve est nec se quod commodet annis. Omnia tempus alit, tempus rapit: usus in arcto est.* eosdem versus vel partem eorum Vincentius in speculo doctrinali VI 99 et in naturali XXXIII 84 86 Scalpurio adscribit: sunt autem sumpti ex carmine XI (v. 49 21—24 32), i. e. ex Nemesiani carmine quarto. denique ex eodem carmine (v. 38) in Parisiensi libro haec verba adiecta sunt, *Vocat aestus in umbram.* verum hinc nihil aliud colligi potest quam fuisse fortasse iam saeculo tertio decimo aliquod horum carminum exemplar in quo Nemesiani nomen similiter oblitteratum erat atque in noviciis illis libris factum est in quibus omnia undecim carmina Calpurnio attributa sunt. quamquam ne hoc quidem tuto colligas: nam poterat is qui versiculos illos excerpsit, cum minus attenderet, Nemesiani nomen neglegere, poterat postea aliquis librarius indiligens esse. certe in eodem Parisiensi libro quae ex panegyrico Pisonis excerpta sunt hanc inscriptionem habent, *In cryri de laude pisonis non tantum genere clari sed etiam virtute multiplici*: sequitur haec versus particula, *Nihil est quod textitur ordine longum*, desumpta e ciri (v. 338), et tum demum panegyrici exordium.

Non puto fore qui hanc disputationem amplius confirmari postulent: possum tamen argumentum addere nequaquam leve aut infirmum. etenim ex eis libris¹ qui omnia undecim carmina¹⁴ Calpurnio tribuunt unus simul quasi invitus veritatem prodit, et accedunt ad eum fortasse alii. scilicet codex Rehdigeranus alter, liber non contemnendus, hanc habet harum undecim eclogarum inscriptionem, *Calphurnii poetae ad Nemesianum Carthaginensem Bucolica incipit.* similem Calpurnianarum eclogarum inscriptionem e codice Gaddiano, in quo quattuor postrema carmina Nemesiano adscripta sunt, supra attuli; similem habuisse videtur codex Vgoleti, ex cuius editione Parmensi in Bononiensem anno MDIII evulgatam aliaque inpressa exemplaria verba illa *ad Nemesianum Carthaginensem* recepta sunt. qua carminum inscriptione homines docti pessime abusi sunt et ita quidem ut id quod maxime attendendum erat plane non curarent. nam cum ab omni antiquorum temporum consuetudine prorsus abhorreat inscriptum esse librum alicui homini ita ut nomen eius in ipso libro nusquam compareat, sed titulo tantum libri adiectum sit, Nemesiani autem nomen in his carminibus non commemoretur, qui fidem aliquam isti inscriptioni habere vellent debebant certe hanc opinionem comminisci ut dicerent periisse aliquam praefationem aut versibus scriptam, veluti Persius satiris suis scazontas, alii carminibus suis alia carmina praeposuerunt, aut prosa oratione, quales praefationes addiderunt Staius singulis silvarum libris, Martialis epigrammaton libris I II VIII XII, Avianus fabulis suis, multis carminibus Ausonius. neque per se quidem absurda esset haec opinio, sed refutatur certo argumento. nam cum intellexerimus Nemesianum aliquot carmina Calpurnii ita imitatum esse ut integris eorum versibus uteretur, facimus eum impudentissimum furem, si putamus compilasse ea carmina quae Calpurnius ei ut amico miserit eiusque nomine inscripserit. potest enim fieri ut aliquis hominis aequalis et amici carmina imitetur, potest ea imitatio gratiam habere et admirationis significationem, sed eo modo quo Nemesianum Calpurnii carminibus usum esse vidimus poetae aequalis nedum amici carmina nemo compilat nisi qui et mente est stultissima et omnem pudorem deposuit. itaque quod in libris illis Calpurnii eclogae ad Nemesianum scriptae esse dicuntur, errorem esse putabimus, sed inde natum quod haec undecim carmina in antiquiore exemplari non uni

Calpurnio, sed postrema Nemesiano adscripta fuerunt. etenim cum hanc vel similem Calpurnianarum eclogarum subscriptionem, *Explicit Calpurnii bucolicon*, haec Nemesianarum inscriptio sequeretur, *Aurelii Nemesiani Carthaginensis bucolicon incipit*, confusa haec esse videntur in unam Calpurnianorum carminum inscriptionem. quod si quis hanc coniecturam probabilitate carere putat, non desunt similibus errorum atque confusionum exempla. veluti Persii satiris in codice olim Laurishamensi nunc Montepessulano haec subscripta sunt, *Explicuit Persius thebaidorum Saturam feliciter utere semper felix*, in summis autem paginis adscriptum *Thebaidorum Persi saturam*. adparet in antiquiore libro Statii Thebaidem praecessisse satiras Persii, ut praecedit in codice Parisiensi 8053. possum plura addere, sed uno exemplo res per se probabilis satis confirmari videtur. quare utar potius hac occasione eo ut alius carminis inscriptionem simili coniectura expediam. nam Catonis disticha vix dubitari potest quin hoc nomen debeant commemorato a Gellio M. Catonis libro qui inscriptus erat carmen de moribus: fuisse autem re vera carmen versibus scriptum trochaicis quadratis Augustus Boeckhius nuper pulchre demonstravit. sed disticha illa utrum ab eo qui fecit Catoni stulte adficta sint an, quod probabilius est, adscripta illi ab alio, non possum diiudicare: illud certum est ineptam esse inscriptionem quam ex vetusto libro Simeonis Bosii Iosephus Scaliger protulit, *Dionysii Catonis disticha de moribus ad filium*. itaque si ipse Scaliger hunc librum vidit, ut vidisse sane videtur (nam Bosium hominem fuisse mendacem et fraudulentum alias demonstrabo), descriptum fuisse conicio illud distichorum exemplar ex aliquo libro in quo Catonis illius quattuor libri sequebantur periegesin Dionysii a Prisciano Latinis versibus expressam, carmen aequae atque illud scholasticorum manibus tritum, ut utrumque in uno codice perscriptum fuisse nihil sit quod mirere. et continet utrumque carmen idem codex Turicensis saeculo x scriptus, quamquam non eo ordine ut alterum alteri succedat. nequis autem putet illis temporibus Graeci poetae nomen ignotum fuisse, subscriptio codicis Turicensis haec est, *feliciter explicit periegesis id est descriptio orbis terrarum et maris Prisciani grammatici secundum Dionysium*.

Sed hoc strictim et veluti in transcurso attingi: illud et carminibus inter se comparatis et librorum auctoritate explorata

effecisse mihi videor, septem eclogas esse Calpurnii, quattuor Nemesiani, quod autem dicitur Calpurnius carmina sua ad Nemesianum misisse, errorem esse titulorumque confusionem. et tamen isti inscriptioni tantum fidei habitum est ut, si accuratius rem consideraveris, hoc uno argumento sive potius opinione ex fallaci illa carminum inscriptione deducta et tacito quodam consensu propagata Calpurnium ad tempora Cari filiorumque eius Carini et Numeriani, quibus temporibus Nemesianum vixisse constat, relatum esse intellegas. ita sane est: alius argumenti, quod quidem argumentum recte dici possit, nec vola nec vestigium adparet, sed prolata esse videmus et ab aliis et maxime a Wernsdorfio futilissima opinionum commenta. quale illud est quod Wernsdorfius, ut antea Caspar Barthius, Calpurnium putavit eundem esse atque Iunium Calpurnium, magistrum memoriae, quem Flavius Vopiscus in vita Cari cap. 8 commemorat. in qua levissima opinione exornanda mirabili artificio usus est. veluti cum Calpurnius poeta in aliquot exemplaribus Siculus dicitur (et habebat hoc, ut videtur, etiam codex Vgoleti), Iunium illum Calpurnium Siculum fuisse opinatur propterea quod qui eum commemorat Vopiscus dicitur Syracusius. fuerit Calpurnius poeta Siculus (quamquam cum in codice Vindobonensi haec legantur, *Incipiunt buccolica Theocriti Calphurnii siculi P. cl. et Expliciunt buccolicon Theocriti Calpurnii poetae siculi*, non inepte Glaeserus suspicatur Siculi poetae commemorationem ad Theocritum, cuius idyllia Calpurnius expressisse putaretur, referendam esse: est autem quodam modo simile quod Persii satirae in non nullis codicibus ita inscriptae sunt, *Persii Lucillii Auli Flacci poetae satirarum liber fel. inc.*)¹, sed fuerit Calpurnius pa-¹⁶ tria Siculus, tamen quod Wernsdorfius de Iunio Calpurnio et Flavio Vopisco protulit ridiculum est, nisi forte putamus frequentissimum nomen Calpurnium illa aetate ita fuisse intermortuum ut in orbe Romano unus tantum esset Calpurnius. quod autem praecipue ridiculum est, idem Wernsdorfius qui Calpurnium Cari filiorumque eius temporibus vixisse sumit (sumit enim et in omni disputatione inde proficiscitur quasi certum sit et argumentis confirmatum) verba illa inscriptionis, *ad Nemesianum Carthaginensem*, falsa habet (t. II p. 48 ss.), non ut rem perspiciat, sed falsa tamen habet ea verba quae sola opinioni illi qua Calpurnius ad Cari tempora refertur speciem praebent:

nam, ut dixi, cetera omnia quae de hac re et ipse Wernsdorfius et alii protulerunt commenta sunt et nugae. sed in his nugis refellendis tempus consumere nolo. nam cum ea quae ratione ac via disputata sunt aut conprobari breviter possint aut, si nihilo minus falsa sunt, breviter refutari, disputationes quae totae nugatoriae sunt et commenta commentis fulciunt sine longa et operosa argumentatione coarguere non possumus. atqui magnus liber nescio an nusquam maius malum sit quam in hac arte grammatica, quae nimia iam mole laborare multis non iniuria videtur, praesertim liber qui de re haud sane gravissima scribitur. neque nugae longa refutatione dignae sunt: nam quod Wernsdorfii commentis fidem habuerunt qui historiam litterarum Latinarum scripserunt aut quod chronographi, ut nuper Clintonus et ipse olim Scaliger, re non satis explorata Nemesiani aetatem Calpurnio adsignaverunt (nimis enim ridicula, qualia de primo Calpurnii carmine nuper in dissertationibus Academiae Vindobonensis prolata sunt, ne commemorari quidem explicatius merentur), sed quod multi et partim praeclari homines opinionem illam secuti sunt, plurimorum consensus tralaticiae opinioni quae fundamento caret nihil addit auctoritatis.

Itaque de tempore quo Calpurnius vixerit ommissa paene omni futillum commentorum reprehensione disputabo. tantum abest autem ut Calpurnii poemata quicquam contineant quod ad Cari filiorumque eius tempora recte referri possit (qui enim spectacula et venationem quae carmine septimo describuntur tuto referas ad ludos novis spectaculis ornatos quibus Vopiscus cap. 48 Carini et Numeriani imperium memorabile fuisse scribit, cum multi Caesares similibus spectaculis populum oblectaverint, eorum autem quae Vopiscus tamquam singularia et nova commemorat in Calpurnii carmine nulla mentio fiat?), tantum igitur abest ut ipsa Calpurnii poemata de illis temporibus nos cogitare iubeant, ut ne posse quidem tum esse scripta certis argumentis efficiatur. quorum partem intellexit Glaeserus, ut totam rem eum adsecutum fuisse facile credam, si in haec carmina accuratius inquirere voluisset: nunc substitit aliorumque errore partim intellecto veritatem ipse non indagavit, sed illud solum recte dixit, fieri non potuisse ut Calpurnius, si illo tempore vixisset, semper unius tantum Caesaris mentionem faceret. unum autem Caesarem eumque iuvenem Fauni illa vaticinatio quam primum carmen

continet populo promittit, unum et iuvenem carmen quartum laudibus extollit, unus¹ est a quo edita spectacula describuntur¹⁷ cuiusque iuvenilis pulchritudo laudatur carmine septimo. nam quod in hoc septimo carmine (v. 78) *forma deorum* commemoratur, id neque Cuperus in exercitationibus de elephantis p. 193 ad Carum et Numerianum recte rettulit neque alii accurate explicaverunt: veluti Wernsdorfius, qui unum Carinum dici putat, non prorsus recte comparat (p. 163) versiculos illos Vergilii (ecl. I 41 42), *Quid facerem? neque servitio me exire licebat Nec tam praesentis alibi cognoscere divos.* hoc enim generatim dictum est, Calpurnius generatim quidem loquitur, sed tamen paullo aliter. nam haec dicit Calpurnii Lycotas,

*nunc tibi si propius venerandum cernere numen
sors dedit et praesens habitum vultumque notasti,
dic age, dic Corydon, mihi quae sit forma deorum:*

recte enim, ut videtur, Burmannus ita scribendum esse putavit: scriptum est in libro Neapolitano aliisque *quae sit mihi*, in aliis *quae sit modo*. adparet autem loqui Lycotam de uno Caesare (ut dictum erat v. 6 *spectacula — quae patula iuvenis deus edit arena*), sed *deorum* ita dicere ut haec sit sententia, 'describe mihi habitum vultumque Caesaris, ut inde discam quae sit deorum forma.' describit autem Corydon unum Caesarem, cum dicit (v. 82)

*utcumque tamen conspeximus ipsum
longius ac, nisi me visus decepit, in uno
et Martis vultus et Apollinis esse notatur:*

in quibus *notatur* scripsi, cum Neapolitanus aliique libri habeant *putatur*: viderat autem quale verbum requireretur Franciscus Modius, cum *putavi*, quod in aliis libris legitur, in *notavi* mutandum esse censeret. itaque quod paullo ante (v. 79) Corydon dicit *O utinam nobis non rustica vestis inesset; Vidissem propius mea numina*, plurativum numinum vocabulum non ad plures pertinet, sed, ut passim fit, ad unum. eodem modo in carmine quarto (v. 40) *magnae numina Romae* de uno Caesare intellegenda sunt, quem ad modum antea (v. 7) carmina commemorantur *quibus et deus ipse canatur Qui populos urbemque regit pacemque togatam*. atque, ut supra significavi, in eodem carmine quarto unum Caesarem Corydon et Amyntas alternis strophis (ut vocabulo non satis recto sed perspicuo utar) laudant, ex quibus

unam stropham periisse amoebaei carminis aequabilitas docet intellexitque Godofredus Hermannus (ad Bionem p. 46). itaque Corydonis, non Amyntae, ultimum carmen hoc est (v. 137),

*Di, precor, hunc iuvenem, quem vos, neque fallet, ab ipso
aethere misistis, post longa reducite vitae
tempora, vel potius mortale resolvite pensum
et date perpetuo caelestia fila metallo:
sit deus et nolit pensare Palatia caelo.*

respondet Amyntas,

18 *Tu quoque mutata seu Iuppiter ipse figura,¹
Caesar, ades, seu quis superum sub imagine falsa
mortalique lates (es enim deus), hunc, precor, orbem,
hos precor aeternus populos rege: sit tibi caeli
vilis amor coeptamque, pater, ne desere pacem.*

hic es enim deus Glaesero debetur: Neapolitanus liber et enim deus habet, ceteri peius peccant. sed *Tu quoque* illud ineptum est. nihil enim potest esse absurdius quam alterum Caesarem subito in fine carminis commemorari quod in unius laudibus versatum est: augetur perversitas eo quod hic alter qui subito adparet nullo nomine ab illo discernitur, sed in simillima oratione eodem Caesaris vocabulo simpliciter significatur quo ille antea (v. 87 94 97 132) dictus erat. *quoque* igitur vitiosum est. poterat dici *Tu qui mutata seu Iuppiter ipse figura, Caesar, ades*: sed melius scribemus *Tu COMMVTATA*. itaque in omnibus Calpurnii carminibus unus tantum Caesar commemoratur; quod fieri non potuit, si hic poeta eo tempore vixit quo vixisse vulgo putatur. Carus enim postquam Probo sub finem anni post Christum natum cclxxxii in Illyrico a militibus interfecto Augustus factus est, confestim, ut ait Eutropius viii 18, Carinum et Numerianum Caesares fecit. sub finem proximi anni cclxxxiii Carus post captam Ctesiphontem fulminis ictu periit: Numerianus initio mensis septembris anni cclxxxiiii Perinthi fraude Arrii Aprii soceri interfectus est: Carinum circa eiusdem anni finem in Moesia milites trucidaverunt. diligenter de his disputavit Clintonus in fastis Romanis, ut uberius ea exponere non opus sit. non potest autem Calpurnius eclogas illas scripsisse dum Carus vivebat: neque enim iuvenilem Caesaris aetatem tam studiose commemorasset (commemorat autem saepius, i 44, iv 85 137, vii 6, ut adpareat Caesarem re vera iuventutem nondum

egressum fuisse) neque oblitus esset Carini Numerianique Caesarum. non magis potest scripsisse dum mortuo Caro Carinus et Numerianus superstites erant: neque enim alterum sine altero commemorasset. denique ne illis quidem mensibus qui inter Numeriani et Carini mortes interiecti erant scripsisse potest: nam ut taceam mirum esse, si Carinus est quem tantopere laudat, nullam neque patris neque fratris tristi fato absumptorum mentionem fieri, per hos menses nulla erat in orbe Romano pax quae praedicari posset, ut omnino per biennium illud quo Carus et filii eius regnarunt bella continua gesta sunt, Cari et Numeriani Sarmaticum et Persicum, Carini Aretoum illud cuius Nemesianus in cynegeticis v. 69 meminit (quod fortasse Gallicum fuit) et illud quod contra Diocletianum gessit: multus est autem Calpurnius in pacis commemoratione (I 42 46 ss. 54 ss. 65 ss. III 8 85 127 135 146). pariter quod Faunus in primo carmine vaticinatur sub novo Caesare nulla futura esse civilia bella, nullam discordiam (v. 47 ss. 54 ss.), id nullo tempore minus dici potuit quam cum mortuis patre et fratre Carinus restabat: nam statim post Numeriani interitum Diocletianus adpellatus est Augustus, contra quem Carinus multis proeliis pugnavit. denique in carminibus primo et quarto Caesaris imperium cum tali antecedentis temporis reprehensione laudatur qualis neque in Aurelianum neque in Tacitum neque in Florianum nec denique in Probum cadit, ut Calpurnius, nisi plane ineptus et mendax erat, exoriens Cari imperium eiusmodi priorum imperiorum aut prioris imperii vituperatione extollere non potuerit, non minus autem absurdum sit si quis putet eum Cari breve imperium ita reprehendere potuisse et simul filii gratiam captare.

Possum alia addere, sed satis demonstrasse mihi videor opinionem illam quae Calpurnii aetatem ad haec tempora rettulit ipsis eius carminibus confutari. itaque si quaerimus quo alio tempore eum vixisse censendum sit, unum annales Romani praebent tempus quocum ea congruunt quae in Calpurnii bucolicis aliquam aetatis significationem habent, initium imperii Neronis. vidit hoc Gustavus Sarpus et declaravit in quaestionibus philologicis Rostochii anno MCCCXVIII editis, sed ut eis quae recte intellexerat falsissima atque adeo absurda insigni opinandi temeritate admisceret. nam bene quidem Quintiliani quaedam verba (x 1 89) emendavit, quae vulgo ita scripta erant, *sed eum*

*consummari mors immatura non passa est: puerilia tamen eius opera et maximam indolem ostendunt et admirabilem praecipue in aetate illa recti generis voluntatem. in his sed eum ab aliquo homine factum est qui haec cum antecedente Cornelii Severi commemoratione coniungenda esse putaret: codices alia habent, ferrenum farrenum terrenum varrenum varenum. rectissime autem, ut videtur, Sarpus Serranum restituit, quem poetam Iuvenalis sat. vii 80 cum Lucano et Saleio Basso commemorat. iam cum intellexisset Sarpus Calpurnium, bucolicorum scriptorem, Neronis tempore vixisse, in vita autem Persii haec scripta videret, amicos habuit a prima adulescentia Caesium Bassum poetam et Calpurnium Staturam, qui vivo eo iuvenis decessit, in quibus Staturae nomen insolens est et fortasse vitiosum, pro eo nomine Serranum scribendum esse opinatus est atque hunc quem finxit Calpurnium Serranum bucolicorum scriptorem eundemque quem Quintilianus et Iuvenalis commemorant Serranum esse existimavit. quae opinatio non tantum magnam ostendit concieendi temeritatem, sed etiam non exiguam levitatem iudicii. nam ipsa illa quae ex Persii vita adscripsi verba perspicue docent Calpurnium illum Staturam non fuisse poetam, id quod recte intellexit Otto Iahnus meus in prolegomenis ad Persium p. xxxi, nisi quod simul de Calpurnio, bucolico poeta, nimis aspere atque austere iudicat. verum Sarpus in eis etiam quae de bucolicorum scriptore disputavit monstrosa multa et ridicula protulit. quod ne acerbius dixisse videar, aliquot perversitatis exemplis demonstrabo: piget enim omnia persequi. itaque cum Serrani immaturam mortem Quintilianus commemoret pariterque Calpurnius, Persii amicus, iuvenis decesserit, bucolici autem poetae carmina iuvenilem aetatem ostendant, ut hunc quoque iuvenem mortuum esse persuadeat (ipse sibi ita persuasit ut annum adeo mortis definiat) Ornytum pastorem, qui in primo carmine cum Corydone fratre colloquitur, ipsum dicit esse Calpurnium. huic Ornyto *longa**

²⁰ *satis pater internodia largus Procerumque dedit mater non invida corpus: eiusmodi corpora quae cito et valde crescant Sarpus (p. 49) cito flaccescere docet. miror non addi phthisicum fuisse Calpurnium. non ineptum est quod Meliboeum qui in carminibus primo et quarto commemoratur putavit esse L. Annaeum Senecam. familiaris enim haud dubie significatur Caesaris, cum in fine primi carminis hoc dicatur, Forsitan Augustas feret haec*

Meliboeus ad aures, similiaque in quarto carmine legantur (v. 458) *At tu, siqua tamen non adspernanda putabis, Fer, Meliboee, deo mea carmina: nam tibi fas est Sacra Palatini penetralia visere Phoebi.* deinde Meliboei liberalitate se adiutum esse Corydon in eodem carmine (v. 34 ss.) testatur: non inscite Sarpus comparat hos versus Iuvenalis (v 408 ss.), *Nemo petit, modicis quae mittebantur amicis A Seneca, quae Piso bonus, quae Cotta solebat Largiri*: poterat addere eandem Senecae liberalitatem a Martiale xii 36 praedicari. denique quadrant in Senecam hi versus (53 ss.) quibus Corydon Meliboeum adloquitur, *Nam tibi non tantum venturos discere nimbos, Agricolis qualemque ferat sol aureus ortum, Attribuere dei, sed dulcia carmina saepe Concinis et modo te Baccheis musa corymbis Munerat et lauro modo pulcher obumbrat Apollo.* haec igitur Sarpus bene disputavit: quamquam posse fortasse alium eiusdem temporis hominem intellegi postea videbimus. sed ineptit rursus cum Lucanum quoque a Calpurnio his versibus (iii 97 ss.) tangi suspicatur, *Adspicis ut virides audito Caesare silvae Conticeant? memini quamvis urgente procella Sic nemus immotis subito requiescere ramis: Et dixi 'deus hinc, certe deus expulit euros,' Nec mora, Pharsaliae soluerunt sibila cannae.* Lucani enim Pharsaliam Sarpus significari putat et Amyntam, qui haec canit, ipsum esse Lucanum alucinatur multaque absurda profert, quae persequi nolo; versum illud *Pharsaliae* non recipere non animadvertit. Glaeserus, qui *Pharsalae* scripsit, vitium vitio mutavit. certissima est autem Heinsii emendatio, *Nec mora, PARRHASIAE SONVERVNT sibila cannae* (et habent sonverunt non nulla exemplaria): Panis enim praesentiam significari proximi versus, qui his respondent, aperte docent, *Adspicis ut teneros subitus vigor excitet agnos Vtque superfuso magis ubera lacte graventur Et nuper tonsis exundent vellera fetis? Hoc ego iam, memini, semel hac in valle notavi, Et venisse Palem pecoris dixisse magistros.* non minus inepte Sarpus alios eiusdem carminis versus (iii 87 ss.) interpretatur, *Me quoque facundo comitatus Apolline Caesar Respiciat, montes neu dedignetur adire Quos et Phoebus amat, quos Iuppiter ipse tuetur, In quibus Augustos visurae saepe triumphos Laurus fructificat vicinae nascitur arbor.* in his *visurae* nihil est nisi Itali commentum minime probabile: in libris fere *visurus* legitur. Vlitio scribendum videbatur *In quibus Augustos visurae saepe triumphos Laurus*

fructificant: et VISVRAE quidem probo, de fructificandi verbo valde dubitari potest, ut paene suspicer Calpurnium scripsisse *Laurus EN FRVTCANT*. (Rutilius Namatianus I 459 *lauros, Conspicuas ramis et fruticante coma.*) Sarpio autem *visuris* placuit, quod non nulla exemplaria habent, intellexitque (quis putasset?) Parthos. tum vicinam lauris arborem primus Robertus Titius, postea
 21 maxime Wernsdorfius collatis notissimis versibus Ovidii¹ (met. I 562, fast. III 953, trist. III 4 39 (Martialis VIII 82 7)) quercum esse intellexerunt: Sarpus aliorum somnia probat qui myrtum dici putaverunt, quam nihil indicat, non capientes illi rationem qua omnia in his versibus inter se nexa et iugata sunt. illud autem plane ridiculum est quod Sarpus montes quos pastor commemorat lauretum putat esse quod erat in villa Caesarum fluvio Tiberi inposita iuxta nonum lapidem Flaminia via, quae villa ad Gallinas vocabatur. id lauretum cum novissimo Neronis anno radicitus exaruisse Suetonius narret (Galbae cap. 4), Calpurnii carmen post hunc annum non posse scriptum esse, vixisse autem Calpurnium in vicinia urbis ad Gallinas pronuntiat (p. 46 et 48). his igitur et similibus multis nugis Sarpus effecit ut eo quod pulchre intellexerat turpiter abusus esse censendus sit. equidem in demonstranda Calpurnii aetate eis quae ille bene disputavit utar et inventae veritatis laudem ei conservabo, sed commenta et futes opinationes devitabo, neque minima omnia consecrabor, sed comprehendam necessaria.

Itaque in primo Calpurnii carmine Corydon et Ornytus inter se collocuntur eo anni tempore quo *Nondum solis equos declinis mitigat aestas, Quamvis et madidis incumbant prela racemis Et spument rauco ferventia musta susurro*, id est autumnno, mense, ut videtur, septembri exeunte: nam aetatem Vlpianus a Sarpio commemoratus ex peritiorum sententia finiri dicit aequinoctio autumnali; et poterat poeta etiam latiore vocabuli significatione uti. inveniunt autem pastores illi inscriptam in cortice fagi vaticinationem Fauni qua mutatio imperii novusque Caesar isque iuvenis (v. 44) et aureum saeculum nuntiatur. eius saeculi felicitatem stella crinita significari his versibus (77 ss.) additur, *Cernitis ut puro nox iam vicesima caelo Fulgeat et placida radiantem luce cometen Proferat, ut liquido niteat sine vulnere plenus? Numquid utrumque polum, sicut solet, igne cruento Spargit et ardenti scintillat sanguine lampas? At quondam non talis erat,*

cum Caesare raptō Indixit miseris fatalia civibus arma. haec in nullum aliud tempus quadrare quam in autumnum anni ab urbe condita dcccvii Sarpus rectissime intellexit. excessit enim Claudius Caesar eo anno ante diem iii idus octobres, quo die Nero vix septendecim annos egressus imperium suscepit. adparuerat autem cometes circa mortem Claudii. adiciam scriptorum testimonia. Plinius igitur naturalis historiae II 26 ita loquitur, *sed cometes nunquam in occasura parte caeli est, terrificum magna ex parte sidus atque non leviter piatum, ut civili motu Octavio consule iterumque Pompei et Caesaris bello, in nostro vero aevo circa veneficium quo Claudius Caesar imperium reliquit Neroni, ac deinde principatu eius adsiduum prope ac saevum.* Suetonius in Claudio cap. 46 *praesagia inquit mortis eius praecipua fuerunt, exortus crinitae stellae, quem cometen vocant, quibus alia addit.* Cassius Dio LX 35 οὕτω μὲν ὁ Κλαύδιος μετέλλαξεν, ἐς τοῦτό τε ὅ τε ἀστὴρ ὁ κομήτης ἐπὶ πλείστον ὄφθεις καὶ ἡ ψεκάς ἡ αἱματώδης — ἔδοξε σημεῖναι. meminit sideris illius etiam Seneca naturalium quaestionum libro VII capitibus 47 et 21.

Saepeus Calpurnium iuvenilem novi Caesaris aetatem commemorare supra diximus: sed laudat etiam eius pulchritudinem²² (VII 83), *in uno Et Martis vultus et Apollinis esse notatur.* fuit autem Nero, ut Suetonius (cap. 54) narrat *vultu pulchro magis quam venusto, oculis caesiis et hebetioribus.* praedicasse adulatores Neronis pulchritudinem Tacitus narrat libro ab excessu Augusti XIII 45: praedicavit Seneca, si tamen est Seneca, in ludo de morte Claudii (cap. 4) ita ut Phoebum Neronem sibi similem dicere fingeret, *Ille mihi similis vultu similisque decore:* adsimularunt eum etiam alii Apollini, de qua re commemoratus a Sarpio Eckhelius in doctrina nummorum II 6 p. 275 ss. diseruit.

Laudatur praeterea a Calpurnio praecox Caesaris eloquentia (I 44), *iuvenemque beata secuntur Saecula, maternis causam qui vicit in ulnis.* quibus verbis Sarpus, cum malorum exemplarium depravationem probaret, uti nescivit, sed abusus est ineptissime. sed Neronem Suetonius narrat (cap. 7) apud patrem consulem, i. e. anno ab urbe condita dccciii (nam de anno dccc cogitari nequit, cum anno demum dccciii Claudius Domitium adoptaverit), pro Bononiensibus Latine et pro Rhodiis atque

liensibus Graece verba fecisse, ut Calpurnius pueri tredecim fere annorum eloquentiam cum adulatione quidem sed tamen non inepte ita ut fecit praedicare potuerit. (nec ineptus fit Calpurnius, si Nero orationes illas anno dcccvi demum habuit secundum Tacitum ann. xii. 58.)

Laudare etiam videtur Caesarem ut poetam cum dicit (iii 87) *Me quoque facundo comitatus Apolline Caesar Respiciat.* notum est autem Neronem carminibus scribendis operam dedisse, de qua re omnium diligentissime Otto Iahnus in prolegomenis ad Persium disseruit.

Deinde adprime in Neronem, eum scilicet qualis initio regni videbatur esse futurus, haec quadrant quae in primo carmine (v. 69 ss.) Faunus vaticinatur, *Iam nec adumbrati faciem mercatus honoris Nec vacuos tacitus fasces et inane tribunal Accipiet consul, sed legibus omne reductis Ius aderit moremque fori vultumque priorem Reddet et adflictum melior deus auferet aevum.* quae Sarpus rectissime intellexit accurate congruere cum eis quae Tacitus Neronem post peractam funebrem Claudii laudationem in curia dixisse narrat (xiii 4): *tum inquit formam futuri principatus praescripsit, ea maxime declinans quorum recens flagrabat invidia. non enim se negotiorum omnium iudicem fore, ut clausis unam intra domum accusatoribus et reis paucorum potentia grassaretur; nihil in penetibus suis venale aut ambitioni pervium; discretam domum et rem publicam. teneret antiqua munia senatus; consulum tribunalibus Italia et publicae provinciae assisterent. illi patrum aditum praeberent, se mandatis exercitibus consulturum.*

Porro spectacula illa quae septimum carmen describit nulla plane causa est quin a Nerone edita esse existimemus, quem Suetonius (cap. 11) spectaculorum plurima et varia genera edidisse scribit. construxit autem Nero, ut idem Suetonius narrat (cap. 13), amphitheatrum ligneum, regione Martii campi, intra anni spatium. factum id esse anno ab urbe condita dcccx Taciti (xiii 34) narratio docet, *Nerone iterum L. Pisone consulibus pauca*
 23 *memoria digna evenere, nisi cui libet laudandis¹ fundamentis et trabibus quis molem amphitheatri apud campum Martii Caesar extruxerat volumina implere, cum ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare.* iterum hic laudandus est Sarpus, qui plane similem lignei amphitheatri molem a Calpurnio his versibus (vii 23 24)

describi animadvertit, *Vidimus in caelum trabibus spectacula textis Surgere, Tarpeium prope despectantia culmen.*

Denique scitum est quod Sarpus Taciti quandam narrationem cum his quarti carminis versibus (107 ss.) contulit, *Scilicet omnis eum tellus, gens omnis adorat, Diligiturque deis; quem sic taciturna verentur Arbuta, cuius iners audito nomine tellus Incahit floremque dedit, cui silva vocato Densat odora comas, stupefacta regerminat arbos.* nam cum cetera quae attuli omnia in Neronis imperium quadrent, nihil Calpurnii carmina contineant quod cum illo tempore non congruat, nullum sit aliud tempus ad quod haec poemata referri possint (hoc enim post multam rerum gestarum investigationem confidenter dico), videntur sane comparari posse quae Tacitus (xiii 58) narrat, *eodem anno (id est anno dcccxi) Ruminalem arborem in comitio, quae octingentos et triginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam prodigii loco habitum est, donec in novos fetus revivisceret.*

Restat ut de prioris imperii reprehensione quam carmina primum et quartum continent non nulla dicam. quae reprehensio ita instituta est ut neque iniuria tempora illa vituperentur neque infelicitas eorum ad priorem Caesarem aperte referatur, id quod ut inopportuna in filii adoptivi laudatione Calpurnius videtur consulto devitasse. sed quod dixi non iniuria Claudii tempora vituperari, non ita intellegendum est quasi nusquam Calpurnius concessa poetis libertate colores aliquos admiscuerit, sed omnia quam accuratissime ad Claudii imperium adcommo- daverit. nam cum eis temporibus quae Neronis imperium antecesserunt sane non congruunt quae in primo carmine Faunus dicit (v. 46 ss.) *Dum populos deus ipse reget, dabit inopia victas Post tergum Bellona manus spoliataque telis In sua vesanos torquebit viscera mortuus Et modo quae toto civilia distulit orbe Secum bella geret. nullos iam Roma Philippos Deflebit, nullos ducet captiva triumphos.* etenim bellum civile quod imperante Claudio Furio Camillus Scribonianus, Dalmatiae legatus, movit ista civilium bellorum commemoratione vel propterea significari non potest quod Camillus, ut Suetonius narrat (Claudii cap. 43), legionibus quae sacramentum mutaverant in paenitentiam religione conversis intra quintum diem oppressus est. verum in felicissimae pacis descriptione poterat Calpurnius paullulum evagari et ad antiquiorum

illorum civilium bellorum commemorationem delabi, neque modo illud quod addidit nullam excusationem habet in carmine poetae non optimi sed iuveniliter declamantis. et potuit Calpurnius ut civilia bella commemoraret adduci illa quam supra attuli Neronis oratione: haec enim Tacitus narrat, *ceterum peractis tristitiae imitantis curiam ingressus et de auctoritate patrum et consensu*
 24 *militum^l praefatus consilia sibi et exempla capessendi egregie imperii memoravit, neque inventam armis civilibus aut domesticis discordiis inbutam; nulla odia, nullas iniurias nec cupidinem ultionis afferre.*

Contra cum Claudii temporibus congruunt quae paulo postea (v. 60 ss.) Faunus praedicit, *Nulla catenati feralis pompa senatus Carnificum lassabit opus nec carcere pleno Infelix raros numerabit curia patres*: nam occisos esse a Claudio senatores xxx Seneca scribit sub finem ludi (cap. 14).

Denique etsi nullo scriptoris alicuius testimonio demonstrare possum inventos thesauros imperante Claudio in fiscum inlatos inventoresque a delatoribus vexatos esse, nihil tamen inpediit quominus ita factum esse existimemus. leguntur autem in quarto carmine hi versus (117 ss.), *Iam neque damnatos metuit iactare ligones Fossor et invento, si fors dedit, utitur auro Nec timet, ut nuper, dum iugera versat arator Ne sonet offenso contraria vomere massa, Iamque palam presso magis et magis instat aratro.* illud satis adparet non infirmari nostram aetatis Calpurnii definitionem eis quae Tacitus initio libri ab excessu Augusti xvi et Suetonius in Nerone cap. 34 narrant. nam quod Caesellius Bassus, origine Poenus, turbida mente homo, ut Tacitus ait, Didonis thesauros in agro suo latere Neroni narravit, Nero autem ad advehendam praedam triremes in Africam misit, facta ea sunt anno dcccviii, ut recte Sarpus neget inde effici primo Neronis quinquennio Calpurnium illa scribere non potuisse. ceterum totum illud negotium tam singulare fuit ut quosdam iure consultos non satis recte inde colligere putem omnino inventos thesauros imperante Nerone fisco inlatos esse: quamquam minime nego factum id esse postquam Nero priorum annorum clementiam deposuerat. equidem aliud exemplum relationis de invento thesauro ad Caesarem missae non inveni ante Nervae tempora: sed de Nerva quae Philostratus narrat in vitis sophistarum II 2 (p. 547) adscribam, cum neglecta esse videantur ab iure consultis qui de

thesauris scripserunt. dicit Philostratus Herodem Atticum valde divitem fuisse: tum ita pergit, πηγαὶ δὲ αὐτῷ τοῦ πλοῦτου πολλαὶ μὲν καὶ πολλῶν οἴκων, μέγισται δὲ ἢ τε πατρῴα καὶ ἢ μητρόθεν. ὁ μὲν γὰρ πάππος αὐτοῦ Ἰππαρχος ἐδημεύθη τὴν οὐσίαν ἐπὶ τυραννικαῖς αἰτίαις, ἃς Ἀθηναῖοι μὲν οὐκ ἐπῆγον, ὁ δὲ αὐτοκράτωρ οὐκ ἠγνόησεν, Ἀττικὸν δὲ τὸν μὲν ἐκείνου παῖδα Ἡρώδου δὲ πατέρα οὐ περιεῖδεν ἢ Τύχη πένητα ἐκ πλουσίου γενόμενον, ἀλλ' ἀνέδειξεν αὐτῷ θησαυροῦ χρῆμα ἀμύθητον ἐν μιᾷ τῶν οἰκιῶν ἃς πρὸς τῇ θεάτρῳ ἐκέκτητο, οὗ διὰ μέγεθος εὐλαβῆς μᾶλλον ἢ περιχαρῆς γενόμενος ἔγραψε πρὸς τὸν αὐτοκράτορα ἐπιστολὴν ὧδε συγκειμένην, "θησαυρόν, ὦ βασιλεῦ, ἐπὶ τῆς ἐμαυτοῦ οἰκίας εὔρηκα· τί οὖν περὶ αὐτοῦ κελύεις;" καὶ ὁ αὐτοκράτωρ, Νέρβας δὲ ἦρχε τότε, "χρῶ" ἔφη "οἷς εὔρηκας." τοῦ δὲ Ἀττικῷ ἐπὶ τῆς αὐτῆς εὐλαβείας μείναντος καὶ γράψαντος ὑπὲρ ἑαυτὸν εἶναι τὰ τοῦ θησαυροῦ μέτρα, "καὶ παραχρῶ" ἔφη "τῷ ἐρμαίῳ. σὸν γὰρ ἐστίν." sed ut nulla inveniantur vetustiora thesaurorum fisco aut inlatorum aut oblatorum exempla, potuerunt tamen tempore multo antiquiore et sub priorum aliquo Caesarum ad fiscum referri. factum id esse quadam legis Iuliae anno urbis MCCCXXVI de maritandis ordinibus latae interpretatione suspicatur familiaris meus Theodorus¹ Mommsenus. nam quod²⁵ Vlpianus scribit tit. XXVIII 7, *si nemo sit ad quem bonorum possessio pertinere possit, aut sit quidem sed ius suum omiserit, populo bona deferuntur ex lege Iulia caducaria*, pertinere quidem dicit ad bona neque vero ad thesauros, sed paritatem rationis fecisse videri ut non lege et scientia, sed usu, quem usque ad tertium post Christum saeculum fluctuasse constat, de thesauris similiter statueretur, idque posse mature factum esse. addidit, cum ad me de hac re rogatus perscriberet, alia haud vulgaria, quae ut ipse aliquando uberius exponat optandum est: equidem enim neque alienis opibus quantumvis praeclaris huius libelli tenuitatem exornare volo et ad Calpurnium redeundum esse censeo.

Corruerent autem omnia quae de aetate Calpurnii disputavi, si verum esset quod Glaeserus (p. 4) dixit, 'qui Calpurnium recte cognoverit, facere non poterit quin eum a saeculo quod vocant argenteum plane alienum esse sentiat.' fortiter dixit: sed mihi quidem Calpurnium haud sane rectissime novisse videtur qui inepta multa librorum menda poetae tribuit aut ipse ei inepta aliquotiens adfingit neque carmina eius a Nemesiani carminibus

discernere didicit, ut statim ea quae Glaeserus de illa Statianorum versuum imitatione quam supra (p. 40) disputavi adicit, ad Nemesianum pertinent, non ad Calpurnium. mihi post diurnam investigationem nihil in Calpurnii oratione adparuit quod a Neronis aetate abhorrere videretur. sed cavendum sane est ne librariorum peccata in poetam conferamus. accidit hoc, ut uno exemplo defungar, in his versibus carminis primi (54 ss.), quos adscribam quales Glaeserus dedit, *Candida pax aderit, nec solum candida vultu, Qualis saepe fuit, quae libera Marte professo, Quae domito procul hoste, tamen grassantibus armis Publica diffudit tacito discordia ferro.* leguntur haec ita in libris, nisi quod aliquot verba in non nullis exemplaribus etiam vitiosius scripta sunt: verum intellegi nequeunt, nec defuerunt qui hoc viderent versusque emendare temptarent, sed frustra. Glaeserus autem cum in Nemesiani carmine ultimo v. 22 *Perdunt spina rosas*, quod Neapolitanus liber habet, adprobat et haec adicit, 'forma *spinum* Calpurnio propria, cf. ecl. I 57 *discordium*, II 44 *oleastrum*,' paucis verbis multos errores committit. nam qui recto est iudicio dubitare non potest quin in ceteris libris (ad quos accedunt excerpta Parisiensia et Berolinensia et Vincentii specula) rectissime scriptum sit *perdit*, et adparet Neapolitani codicis mendum inde natum esse quod haec verba antecedunt, *perdunt et gramina flores*. deinde fallitur qui Calpurnio tribuit quae sunt Nemesiani. tum quod dixit Calpurnius *oleastra putare*, neque caret *oleastrum* aliorum vocabulorum similitudine et fuisse qui ita dicerent ostendunt quae grammaticus cuius libellum de generibus nominum ex codice Vindobonensi edidi dicit (p. 90), *oleastrum generis neutri. sed Virgilius 'foliis oleaster amaris.'* (ἀγρελαία *oleastrum* gloss. Labb. p. 3^a. *oleastrum* σφόρνιον, λάχανον id. p. 125^d.) denique si vel maxime *discordium* Calpurnius dicere potuisset, illi tamen versus absurdi essent. aptum autem et praeclarum est quod Godofredus Hermannus Calpurnium scripsisse vidit, *Candida Pax aderit, nec solum candida vultu, Qualis saepe fuit quae libera Marte professo, Quae, domito procul hoste, tamen*
²⁶ *grassantibus armis, IVBILA dif^fudit tacito discordia ferro.* pastorale enim in pastorali carmine vocabulum libenter accipimus. (Varro de l. Lat. p. 244 Sp. *iubilare rusticorum. iubila* Silius XIV 475, ubi vera videtur Gronovii emendatio. Amm. Marc. XXII 4 6. Corippus Ioh. VII 449. *iubilatio* Apuleius Met. VIII 17.)

Orationem igitur Calpurnii a Neronis aetate alienam esse nego: versuum artificium mirabiliter conspirat cum scripta illis temporibus laudatione Pisonis. etenim hic poeta qui Pisonem laudat longam *o* non corripit nisi semel (v. 253 = 240) in vocabulo quod est *nescio*, id quod antiquo usu stabilitum est pariterque admissum a Calpurnio: nam quod *Piso* ei trochaeus est (v. 66, 75 = 253, 129 = 117, 253 = 244), nimirum nomen quod dicitur proprium excusationem habet, veluti Ovidius Naso cognomine suo nusquam aliter usus est. deinde non magis quam Calpurnius versus post quartum trochaeum incisus vitat (v. 44, 62, 83 = 261, 92 = 80, 94 = 82, 125 = 113, 159 = 147, 178 = 166, 191 = 179, 203 = 191, 228 = 216). denique, quod inprimis memorabile est, hic panegyricus, qui versibus constat cclxi, elisiones habet duas, utramque in primo versus pede, *Atque illos* (v. 24) et *Quare age* (v. 81 = 259): nam *necessesit* (v. 14) aut *credibilest* (v. 168 = 156) non pertinent ad hoc elisionum genus. quod autem in *Quare age* longa vocalis elisa est, quod numquam in bucolicis suis Calpurnius fecit, in frequenti formula excusationem positam esse iam olim dixi in observationibus criticis p. 43. [*supra p. 85.*] ceterum ad summam elisionum in hoc carmine raritatem primus attendit Lehrsius in quaestionibus epicis p. 305 ineptamque opinionem qua quidam Statio hanc Pisonis laudationem adscripserat rectissime confutavit. sed cum mirabilis esse videretur versuum arte plane singulari factorum in bucolicis Calpurnii et in laudatione Pisonis similitudo, orationis etiam quaedam in dissimilibus carminum generibus adpareret convenientia, poetam autem iuvenem et pauperem bucolica non minus quam laudatio Pisonis ostenderent, et praeterea mirum esset poetam bucolicum vocari Calpurnium, Pisonem qui altero illo carmine laudatur esse C. Calpurnium Pisonem, et mihi et prius, quantum memini, Carolo Lachmanno, quicum communicaveram quae de artificiosis Calpurnii versibus dicere poteram, nata est suspicio Calpurnium, bucolicorum scriptorem, scripsisse etiam illam laudationem: unde factum est ut Lachmannus in commentario Lucretiano p. 326 laudatorem Pisonis Calpurnium commemoraret, non sine ioco mihi tum soli, puto, perspicuo. putabamus igitur fieri potuisse ut poeta ille a Pisone, ad quem aditum sibi carmine parare studuit quemque rogavit ut penates suos aperire dignaretur (v. 218 = 206), non

sublevaretur tantum solita liberalitate, verum etiam adoptaretur. quodsi ita factum est, adoptivo poetae nomine bucolica carmina inscripta sunt cum uno volumine coniuncta ederentur, aut etiam postea: nam cum quartum carmen iuvenis faceret, pauper erat atque, si vera est illa quam de adoptione protuli suspicio, nondum dicebatur Calpurnius. sed sublevatus erat liberalis hominis, Meliboei, beneficio. de quo Meliboeo quae dicuntur, ea a Sarpio non sine veritatis specie ad Senecam referri supra (p. 20 [383]) concessi, sed ut adderem posse fortasse etiam aliter explicari. nimirum quod dicitur *Nam tibi non tantum venturos discere nim-*
²⁷ *bos, Agricolis qualemque ferat sol aureus ortum,* potest significari¹ Seneca rerum naturalium studiosus, neque scio Calpurnium etiam Pisonem eiusmodi studiis deditum fuisse (quamquam non magis scio non fuisse): sed potuit aliquid propter pastoricum carmen dici quod in Pisonem non magnopere quadraret; nam cetera in eum accurate quadrant. largitionem eum adversum amicos et ignotos quoque exercuisse Tacitus narrat (xv 48) praedicantque praeter laudationem illam eius Iuvenalis et Martialis; usum esse eius consuetudine Neronem satis ea demonstrant quae Tacitus in eadem coniurationis Pisonianae narratione dicit (xv 52), *con-*
iuratis tamen metu prodicionis permotis placitum maturare caedem apud Baias in villa Pisonis, cuius amoenitate captus Caesar crebro ventitabat balneasque et epulas inibat omissis excubiis et fortunae suae mole; denique quam poeticae artis laudem Calpurnius his versibus (III 55 ss.) Meliboeo tribuit, *dulcia carmina saepe Con-*
cinis et modo te Baccheis musa corymbis Munerat et lauro modo pulcher obumbrat Apollo, eandem laudem carmen illud in Pisonem confert (v. 462 = 450 ss.), *Mira subest gravitas inter fora, mirus ommissa Paulisper gravitate lepos. si carmina forte Nectere ludenti iuvit fluitantia versu, Aonium facilis deducit pagina carmen: Sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas, Dulcis Apollinea sequitur testudine cantus Et te credibilest Phoebos didicisse magistro.* cum Baccheis autem illis corymbis praecipue congruunt quae Georgius Valla ad Iuvenalis satirae v versum 409 adscripsit, *Piso Calpurnius, ut Probus inquit, antiqua familia, scaenico habitu tragoedias actitavit.* (idemque testatur Tacitus ann. xv 65 *Piso tragico ornatu canebat.*)

Sed haec omnia quae de Calpurnio laudatore Pisonis dixi incerta ad modum esse non diffiteor, neque graviter feram siquis

ea contempserit, cum Calpurnii et Nemesiani discrimen Calpurnianaque aetatis definitionem non illa coniectura stabiliverim, sed, ut puto, firmioribus argumentis. quare de his quidem rebus nihil amplius addam, sed ex poetarum de quibus disputavi carminibus menda non nulla tollam, non ut omnia persequar, sed ut specimen emendationis proponam. usus autem sum codicis optimi Neapolitani collatione multo accuratiore quam quae olim a Dorvillio facta est. scriptus est hic liber sub initium saeculi xv adservaturque hodie in bibliotheca Borbonica, ubi eum Conradus Bursianus in usum meum diligentissime excussit. ab eodem iuvene doctissimo mihiq̄ amicissimo accepi collationem codicis Parisiensis 8049, saeculo, ut videtur, XIII, non XII, scripti, qui nullo addito poetae nomine tres priores Calpurnii eclogas et quartae versus duodecim continet: minus diligenter eum Millerus in Glaeseri usum contulerat. suspicor autem propter idoneas quasdam rationes eundem esse librum quem Burmannus Heinsii codicem vocat: nam quod ex Heinsiano quaedam adferuntur quae non leguntur in Parisiensi, negligentiae Burmanni videtur esse tribuendum. sed de codicibus hic non disputabo, conabor potius aliquot carmina mea qualicumque opera emendare.

In ecloga igitur Calpurnii II duo pueri, Idas lanigeri dominus gregis, Astacus horti, carminibus inter se certant. incipit Idas his quattuor versibus (28—31),

*Me Silvanus amat, dociles mihi donat avenas
et mea frondenti circumdat tempora taeda¹:
ille etiam parvo dixit mihi non leve carmen,
'iam levis obliqua crescit tibi fistula canna.'*

28

in optimis libris Neapolitano et Parisiensi *crescat* scriptum est: sed necessario ceteri libri sequendi sunt. hoc enim Idas Silvanum sibi adhuc parvo dixisse narrat, crescere iam cannam in futurum adulescentis usum. respondet Astacus versibus pariter quattuor (32—35),

*At mihi Flora comas pallenti gramine spargit,
et mihi matura Pomona sub arbore ludit:
'accipe' dixerunt nymphae, 'puer, accipe fontes;
iam potes irriguos nutrire canalibus hortos.'*

scribendum esse *pallenti* Antonius de Rooy intellexit: libri *parienti* habent, quod ineptum est. dixerat Vergilius ecloga VI 54

Ilice sub nigra pallentis ruminat herbas, III 38 *Lenta quibus torno facili superaddita vitis Diffusos hedera vestit pallente corymbo*, similiterque ipse Calpurnius loquitur ecloga VII 9, *Et solus Stimicon caneret pallente corymbo*. mox spargit in plerisque libris scriptum est, commento minime laudabili, quod desumptum est ex his eclogae III verbis (v. 68), *Quem modo cantantem rutilo spargebat acantho Nais et implicitos comabat pectine crines*: nam aliud plane vocabulum, sed quod non magis probari possit, libri Neapolitanus et Parisiensis habent, *pingit*. errat enim Burmannus cum *iungit* ex Neapolitano adfert, falsus etiam cum idem Heinsiano codici tribuit, si recte suspicatus sum hunc librum eundem esse ac Parisiensem. deinde quid sit quod ludere Pomona Astaco dicitur intellegi nequit. absurde enim Burmannus Pomonam describi putat pomis maturis quae ex arbore decerpat adeo delectatam ut prae gaudio tripudiet: magis etiam absurde Wernsdorfius ipsa poma intellegit quae excussa ex arbore in solo discurrant et exultent. non potest dubitari quin Calpurnius ita scripserit, *At mihi Flora comas pallenti gramine cingit, Et mihi matura Pomona sub arbore plaudat*. pertinent enim haec omnia ad dearum adprobationem quam Astacus se canendo adsecutum esse gloriatur: Flora corona caput eius cinxit, plausit ei Pomona, eademque arborum fertilitate, nymphae fontium dono carminum suavitatem remuneratae sunt.

A cantu, qui maximam partem amatorius fuit, Idas his verbis desistit (v. 92—94),

Carmina poscit amor nec fistula cedit amori:

sed fugit ecce dies revocatque crepuscula vesper.

hinc tu, Daphni, greges, illinc agat Alphisiboeus.

ita libri Neapolitanus et Parisiensis et ceteri plerique. quod in non nullis scriptum est *nec fistula sistit amori* aut error est aut infelicem emendandi conatum prodit: neque melius est quod Brassicanus dedit, suam, opinor, coniecturam secutus, *Carmina spernit amor neque fistula flectit amorem*; quippe contrarium dici requiritur. verum *cedit* sane non potest intellegi. scripsit Calpurnius *Carmina poscit amor nec fistula sordet amori*.¹

Versibus pariter tribus Astacus cantum finit (v. 95—97),

Iam resonant frondes, iam cantibus obstrepit arbor:

i procul, o Doryla, primumque reclude canalē

et sine iam dudum sitientes irriget hortos.

in codice Neapolitano scriptum est *I procul ydorila*, in Parisiensi *Hic procul et dorila*. mox *primum canalem* quomodo explicarent ne quaesiverunt quidem interpretes. neque quaerenda est explicatio, sed vitium librorum corrigendum est reddendumque poetae *I procul, i Doryla* PLENVMQVE *reclude canalem*.

In ecloga III postquam Meliboeus Corydonis et Amyntae carmina laudavit, Corydon haec dicit (v. 152 ss.),

*Olim quae tereti decurrent carmina versu
nunc, Meliboee, sonant, siquando montibus istis
dicar habere larem, siquando nostra videre
pascua contingat: vellit nam saepius aurem
invida paupertas et dicit 'ovilia cura.'*

ita haec in Neapolitano libro scripta sunt, nisi quod *et dicit vilia cura* (sic, non *rura*) aperto errore habet: Parisiensis codex in duodecimo huius eclogae versu desinit; in reliquis codicibus *et dixit vilia cura* scriptum est: emendavit carmen Nicolaus Heinsius. sed primi duo versus in libro Neapolitano non minus mendosi sunt. reliqui libri habent *O mihi quam tenero*, nisi quod ex uno codice *quae tenero* adfertur: *tereti versu* eodem plane modo dictum est in laudatione Pisonis v. 247 = 236, *memorabilis olim Tu mihi Maecenas tereti cantabere versu*. tum *decurrunt* et initio proximi versus *Tunc* vel *Tum* habent, quod Neapolitano non recte tribuitur, et mox impressa pleraque exemplaria et fortasse aliquot scripti codices *sonent*. denique *in montibus* libri plerique, de quo dictum est ubi de elisione vocalium disputavi. homines docti nihil hic quod operae pretium esset effecerunt. sed partem veri liber Neapolitanus, partem alii conservarunt: scribendum est enim *O mihi quam tereti* DECVRRENS CARMINE VERSVS *Tum, Meliboee, SONET, siquando montibus istis Dicar habere larem*. in his *sonet* ad futuri temporis significationem prope accedit, sed ut modestius dictum sit. (totus autem locus imitationem prae se fert Vergilii buc. 10, 33 *o mihi tum quam molliter ossa quiescant, Vestra meos olim si fistula dicat amores*.) consimili autem ratione conformandus est culicis quidam versus nondum recte scriptus. etenim in carmine illo inde a v. 25 haec dicuntur, *Triste Iovis Phorcique canit non pagina bellum, Phlegra giganteo sparsa est quo sanguine tellus, Nec centaureos Lapithas compellit in enses, Vrit Erichthonias oriens non ignibus arces, Non perfossus Athos nec magno vincula Ponto Iacta*

meo quaerent iam sera volumine famam, Non Hellespontus pedibus
 pulsatus equorum, Graecia cum timuit venientes undique Persas,
 Mollia sed tenui pede currere carmina versu Viribus apta suis
 Phoebō duce ludere gaudet. pro eo quod in paenultimo versu
 libri, etiam Cantabrigiensis ille in quo Aetna est, habent *pede*
currere, Heinsius scribendum esse vidit *decurrens*. cetera non-
 dum expedita sunt: nam quod antea dictum est *pagina*, id post
 30 interiectos septem versiculos aliterque conformatam orationem
 ad haec verba referri nullo modo potest; ut et alios non recte
 iudicasse adpareat et Ferdinandum Naekium in commentario de
 diris illis quas Valerio Catoni perperam attribuit p. 289. scri-
 bebamus *MOLLIS sed tenui DECURRENS CARMINE VERSVS Viribus apta*
*suis Phoebō duce ludere gaudet?**)

Redeo ad Calpurnium. in cuius ecloga v Micon (nam *My-*
con tam inepte scribitur quam olim scribebatur in bucolicis Ver-
 gili) pastoralis scientiae praecepta alumno summatim tradit.
 sed non nulla eorum non possunt intellegi. nam inde a v. 32
 haec vulgo leguntur,

at si forte vaces dum matutina relaxat
frigora sol, tumidis spument tibi multra papillis.
implebis quod messe fluat, rursusque premetur
mane quod occiduae mulsura redegerit horae.

hic, quod raro accidit, Caspar Barthius aliquid rectissime emen-
 davit. vidit enim scribendum esse *spumantia multra*, et ducit
 eodem error postea cognitus libri Neapolitani, *spument trimultra*:
 sic enim scriptum est, non *trimulca*. cetera homines docti
 emendare frustra studuerunt. potest hoc excusari in eis qui
 Neapolitanum codicem non norunt: postquam cognitum est in
 eo codice scriptum esse *Implebis quod mane fluat* (id habet, non
fluat), turpe est ad malas coniecturas additas esse peiores ne-
 minemque facillimam horum versuum emendationem invenisse.
 scripsit enim Calpurnius *At si forte vaces dum matutina relaxat*
Frigora sol, tumidis SPVMANTIA multra papillis IMPLEBIT quod mane
fluet, rursusque premetur Mane quod occiduae mulsura redegerit
horae.

*) [Edidit Hauptius molli sed tenuis cuius rationem reddidit Monatsber.
 1858, 649.]

Non minus inepta leguntur v. 78 ss.

*providus (hoc moneo) virentia sulphura tecum
et scillae caput et virosa bitumina portes
ulceribus laturus opem, nec Bruttia desit
dura tibi. liquido picis unguine terga, memento,
si sunt rasa linas. durae quoque pondera massae
argenti coquito lentumque bitumen ahenò
inpressurus ovi tua nomina: nam tibi lites
auferet ingentes lectus possessor in armo.*

portes Neapolitanus liber mihi praebuit: ceteri *porta*. tum non scribendum esse *et liquido simul unguine* supra dixi. deinde plerique libri *vini quoque pondera melle* similesque ineptias habent: rectius Neapolitanus *durae quoque pondera massae*. sed argentum illud ad signandas oves cum bitumine coctum interpretes concoquere potuisse valde admiror. nam ut taceam non facile praesto fuisse pastoribus massas argenti, illud doceri velim, quid argentum contribuere potuerit ad conficiendum colorem quo oves signarentur. aptius, nisi fallor, putabimus pastores in signandis gregibus usos esse atramento sutorio, quo Vegetius artis veterinariae II 64 uti praecipit si album equi pilum nigrescere cupias. scribemus igitur *durae quoque pondera massae* CHALCANTHI *coquito*, neque mirabimur depravatam esse vocabulum rarius et Graecum. *chalcanti* Dioscorides libro V 114 tres esse species scribit, *σταλακτίδα, πηκτόν, ἐφθόν*. de coctili, quod in Hispania fieri dicit, haec habet, τὸ δὲ ἐφθὸν πρὸς μὲν βαφὰς καὶ μελάσματα ἐπιτηδεϊότερον τῶν ἄλλων δοκεῖ εἶναι, πρὸς δὲ ἰατρικὴν ἀσθενέστερον ἢ πεῖρα δείκνυσιν. usus est Dioscoridis descriptione Plinius naturalis historiae XXXVIII 12 32, ubi *chalcanthon* Hispanum diluendo fieri scribit *atramentum linguendis coriis*.

Nihilo meliora paullo post secuntur (v. 106 ss.) ubi de pecoribus arborum fronde alendis sermo est.

*nec pigeat ramos siccis miscere recentes
et sucos adhibere novos, ne torrida nimbis
instet hiems nimioque gelu nivibusque coactis
incurvare velis nemus et constringere frondes.
tu tamen aut leves hederas aut molle salictum
valle premes media: sitis est pensanda tuorum,
Canthe, gregum viridante cibo.*

inepta haec sunt, ineptum etiam quod nuper ex futili libro receptum est *nivibusque coactus*, neque quicquam homines docti coniciendo profecerunt. mihi satis manifestum esse videtur poetam scripsisse *Nec pigeat — sucos adhibere novos, dvm torrida nimbis Instet hiems nimioque gelu nivibusque coactis INCURSARE VETET nemus et constringere frondes*: nam *incurvare* quoque illud absurdum est.

Transeo ad eclogam vii. sed antequam duos eius carminis versus ipse emendare studebo egregiam Ioannis Schraderi emendationem cum lectoribus communicabo: latet enim in ignoto paene libello. nam vitium est in eis versibus (23 ss.) quibus Corydon ex urbe reversus Lycotae quae ibi viderit miracula narrare incipit:

*Vidimus in caelum trabibus spectacula textis
surgere, Tarpeium prope despectantia culmen,
immensosque gradus et clivos lene iacentes.
venimus ad sedes ubi pulla sordida veste
inter femineas spectabat turba cathedras.*

displicet oratio non conexa neque gradus satis recte dicuntur immensi. contra pulcherrimum est *EMENSIQUE gradus*, quod Petrus Brantsma in specimine observationum Franequerae anno MDCCLXXII edito p. 15 Schraderum invenisse narrat. sunt alia in hac Corydonis narratione quae emendatione non minus probabiliter corrigi possunt: sed satis mihi nunc quidem erit, si insigne vitium quod in postremis versibus (69 ss.) invenitur recte emendavisse visus fuero. nihili est enim quod hodie legitur,

*ah trepidi quotiens nos descendentes arenae
vidimus in partes, ruptaque voragine terrae
emersisse feras, et eisdem saepe latebris
32 aurea cum croceo creverunt arbute nimbo.¹*

in codice Neapolitano non *latebris* scriptum est, sed *cavernis*, neque dubitari potest quin Glaeserus id recte receperit. antea et in *hisdem* Neapolitanus similiterque alii libri: unus et *aesdem*, unde idem Glaeserus non male coniecit scribendum esse *et ab isdem*, quamquam vulgatum illud *et eisdem* nihilo deterius est. sed quae antecedunt neque alii emendare potuerunt (vitiosa enim sunt aperte) neque Glaeserus, qui quod commentus est non commemorare praestat. monstrat autem emendandi viam liber Neapolitanus, in quo non scriptum est *nos descendentes*,

sed *sol discedentis*. itaque Calpurnio haec reddenda sunt, *Ah trepidi quotiens SOLA discedentis arenae Vidimus* INVERTI.

Pergo ad Aurelium Nemesianum. cuius ecloga I, si vulgaribus libris fidem habemus, his versibus incipit Thymoetae (*ridicula enim patientia v. 9 Timeta toleratur*),

*Dum fiscella tibi fluviali, Tityre, iunco
texitur et raucis resonant tua rura cicadis,
incipi, siquod habes gracili sub arundine carmen
conpositum. nam te calamos inflare labello*

Pan docuit versuque bonus tibi favit Apollo.

possunt haec intellegi: sed longe aliter Nemesianum scripsisse Neapolitanus liber docet, in quo scriptum est *et raucis in mutua rura cicadis*: similia autem alii libri habent, *immutua rura, imitantur rura, imitatur rura*. non opus est ut multa verba faciam aut ineptas opiniones refellam, cum veritas in promptu sit. scripsit enim Nemesianus *Dum fiscella tibi fluviali, Tityre, iunco Texitur et raucis* RYMPYNTYR *rura cicadis*. sumpsit hoc a Vergilio, qui georgicorum III 328 hoc dicit, *Et cantu querulae rumpunt arbusta cicadae*. indidem repetitum est quod in *copa v. 27 s.* dicitur, *Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae, Nunc veprum gelida saepe lacerta latet*: ita enim scribendum esse ante multos annos docui; postea alii, nisi fallor, idem intellexerunt. (eundem Vergilii locum imitatur Ambrosius hexaem. v 22 p. 125 *quam dulcis etiam in exiguo cicadis gutture cantilena, quarum cantibus medio aestu arbusta rumpuntur eo quod magis canorae meridianis caloribus, quo puriorem aerem id temporis attrahunt spiritu, eo cantus resonant clariores.*) *raucis* dicuntur cicadae exemplo pariter Vergiliano, *ecl. II 42, raucis — Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis*. unde desumptum est quod in Nemesiani carmine libri plerique habent *resonant tua rura*: sed non successit depravati versus emendatio, cum pronomen incommodum sit. nequis vero *rura* mutanda scribendumque eiusmodi aliquid esse opinetur quale est *rusca*, similiter dixit, dum idem carmen Vergilii imitatur, Avianus in fabula xxxiii *Quae quondam querulo ruperat arva sono*.

In eodem Nemesiani carmine Thymoetas in honorem mortui Meliboei Apollinem lauros, faunos uvas aristas fruges, Palem lactis cymbia, nymphas mel, Floram coronas contribuere dicit. tum ita pergit (v. 70),

manibus hic supremus honos: dant carmina musae,
 carmina dant musae; nos te modulamur avena,
 silvestris te nunc platanus, Meliboee, susurrat,
 te pinus reboat, te quidquid carminis Echo
 33 respondet silvae, te nostra armenta locuntur.¹

respondet silvae codex Neapolitanus praebuit, qualem orationem requiri Franciscus Modius intellexerat: in ceteris libris *respondent silvae* male scriptum est. sed postrema verba mirabilia sunt. an placent vocales boves? placuisse videntur omnibus: sed nequis boves Daphnidis aut Bionis mortem lugentes, de quibus supra diximus, conparet, primum alia sunt ὀδύρεσθαι et γοᾶν, quibus verbis Theocritus et Moschus in hac re utuntur, aliud est loqui; deinde vel mugitus boum nedum loquella hic inepte reliquis admiscetur, cum adpareat omnia ad carmina referenda esse quibus silvae resonent. quare prodigium procurabimus scribemusque *te nostra ARBVSTA locuntur*. non prorsus dissimiliter Vergilius dixerat in ecloga v 62 ss. *Ipsi laetitia voces ad sidera tollunt Intonsi montes, ipsae iam carmina rupes, Ipsa sonant arbusta 'deus deus ille, Menalca'*: et in ecloga i 39 s. *Tityrus hinc aberat. ipsae te, Tityre, pinus, Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.*

Secuntur haec,

*namque prius siccis phocae pascentur in arvis
 hirsutusque freto vivet leo, dulcia mella
 sudabunt taxi, confusis legibus anni
 messem tristis hiems, aestas tractabit olivas,
 ante dabit flores autumnus, ver dabit uvas,
 quam taceat, Meliboee, tuas mea fistula laudes.*

tractandi verbum Burmanno iure suspectum fuit. sed *iactabit* non debebat scribendum conicere: nam hoc quoque ab hoc loco alienum est. concinna fit oratio et congruit cum proximo versu, si scribimus *Messem tristis hiems, aestas PRAESTABIT olivas.*

Alterius Nemesiani eclogae hoc est initium,

*Formosam Donacen^e Idas puer et puer Alcon
 ardebant rudibusque annis incensus uterque
 in Donaces Venerem furiosa mente ruebant.
 hanc, cum vicini flores in vallibus horti
 carperet et molli gremium conpleret acantho,*

*invasere simul Venerisque inmitis uterque
tum primum dulci carpebant gaudia furto.*

patienter haec tolerarunt homines docti: et tamen valles horti intolerabiles sunt. itaque cum hoc intellegerem, sed melius frustra quaererem, interrogavi olim de ea re Godofredum Hermannum, isque statim hanc certissimam emendationem fecit, *in CALLIBVS horti*. saepius haec vocabula a librariis permutata sunt, veluti in his quae ex Varronis Prometheo Nonius p. 217 adfert, *retrimenta cibi qua exirent* (ita scriptum est in exemplari reliquiarum Varronis Dordracensi p. 168: apud Nonium libri *quae exierunt*) *per posticam vallem feci*. non verum est quod Oehlerus dicit in libris novissime collatis scriptum esse *vallum feci*: quod autem *vallem* probat non valde miramur, quamquam hic quidem ineptum est. nam *vallem alarum*¹ dixit sane Catullus³⁴ LXVIII 6, *vallem femorum* Ausonius epigrammate cxxviii: Varro- nem ita hic locutum esse nemo credet qui verba eius accuratius consideraverit. quare Ruhnkenius in adnotatis ad Xenophontis memorabilium I 4 6 (et ante eum Valens Acidalius in Q. Curtium animadv. p. 59) *canalem* scripsit, idque bonum per se est et probabile esse videretur, nisi leniore mutatione scriberemus CALLEM. sed ut ad Nemesianum revertar, post ea quae adscripsi ita pergit,

*hinc amor et pueris iam non puerilia vota,
quis anni ter quinque hiemes et cura iuventae.*

non mirum est displicuisse Heinsio illud *Quis anni ter quinque hiemes*, ut scribendum putaret *Quis actae ter quinque hiemes*: nam cum hiemes pro annis dicantur, non bene annorum vocabulum pro vocabulo aetatis positum est. sed hoc condonabimus Nemesiano, in cuius carminibus non sunt omnia ad Calpurniani sermonis elegantiam adcommodanda. et dixit paullo quidem melius, sed tamen similiter ecl. III 36 *Iam tibi bis denis numerantur messibus anni*. illud vero quod additum est *et cura iuventae* videtur nullo modo posse explicari. frustra enim fuit Wernsdorfius, qui desiderium coniugii et concubitus ita dici posse opinatus est; quod autem Burmannus similiter putavit interiectam esse aetatis commemorationem et haec coniungenda, *pueris iam non puerilia vota et cura iuventae*, aut scribendum *Hinc amor et pueris iam non puerilia vota (Quis anni ter quinque) et primae cura iuventae*, alterum omni mutationis probabilitate

destitutum est, neutrum verum esse potest, cum pueri iam se impensius colere et ornare coepisse ut puellae placerent (hoc enim voluit Burmannus) praepostere hic atque inepte dicerentur, id quod neminem qui animum paulisper attenderit fugiet: quamquam fugisse Boissonadum ea ostendunt quae ad Aristaeneti epistulas p. 587 adscripsit. immo error librarii tollendus est: Nemesianus enim scripsisse videtur *Quis anni ter quinque hiemes et CRVDA IVVENTA*, quo non puerilia optantium aetatem nondum adultam apertius indicaret. (ac dixit similiter Silius XII 348 *crudos sine viribus annos*.)

In eadem Nemesiani ecloga II inde a v. 59 haec leguntur,
quid merui? cur me Donace formosa reliquit?
munera namque dedi, noster quae non dedit Idas,
vocalem longos quae ducit aedona cantus,
quae, licet interdum contexto vimine clausa,
cum parvae patuere fores, ceu libera ferri
novit et agrestes inter volitare volucres,
scit rursus remeare domum tectumque subire,
viminis et caveam totis praeponere silvis,

his versibus quasi recte se haberent Bentleium usum esse ad confirmandam emendationem versus Maniliani v 384 mirarer, si ipse Bentleius has adnotationes edidisset: nam si eas retractasset, mendum haud dubie et vidisset et sustulisset. sustulit autem vitii partem Wernsdorfius, qui vidit scribendum esse *ceu libera ferri* NORIT, quod suspensum esse debet ex vocabulo quod est *licet*: alteram partem vitii non animadvertit. nam clausa
 35 *luscinia* non potest libera ferri. quapropter scribemus *Quae licet interdum, contexto vimine CLAYSÆ Cum parvae patuere fores, ceu libera ferri NORIT et agrestes inter volitare volucres, Scit rursus remeare domum tectumque subire.*

Denique in ultimo Nemesiani carmine haec emendationem requirunt (v. 62 ss.)

Quid prodest quod me pagani mater Amyntae
ter vittis, ter fronde sacra, ter ture vapore
lustravit cineresque aversa effudit in amnem,
incendens vivo crepitantes sulphure lauros,
cum sic in Meroen totis miser ignibus urar?
urar, cum ex libro Neapolitano urat adlatum esset, Glaeserus
 scribendum esse vidit: habet autem ille liber *uratr*; ceteri *arsi*.

sed ordinem versuum praeposterum esse adparet: meliorem ita restituendum esse puto, *Quid prodest quod me pagani mater Amyntae Ter vitis, ter fronde sacra, ter ture vapore, Incendens vivo crepitantes sulphure lauros, Lustravit cineresque aversa effudit in amnem, Cum sic in Meroen totis miser ignibus urar?* videtur enim hoc probabilius fieri quam siquis Valckenarium sequatur, qui in epistula ad Roeverum p. LVII initiis duorum versuum permutatis scribendum esse opinatus est *Lustravit, vivo crepitantes sulphure lauros Incendens, cineresque aversa effudit in amnem.*

Cynegeticorum Nemesiani, ut de his quoque aliquid dicam, codice scripto cum post Ioannem Lucretium Aesiandrum, qui Ovidii halieutica Grattique et Nemesiani cynegetica ex libro quem Actius Sincerus Sannazarius ex Gallia in Italiam attulerat a se descripta cum Georgio Logo Silesio communicavit, unde is haec carmina anno MDXXXIII Venetiis evulgavit, nemo usus esset, equidem ante hos sedecim annos Nemesiani carmen apographo Vindobonensi, quod saeculo sexto decimo scriptum est, collato paullo emendatius edidi: aliud scriptum exemplar non videbatur superesse. nuper autem Conradus Bursianus in bibliotheca Parisiensi duo cynegeticorum Nemesiani exemplaria saeculo decimo scripta invenit et in usum meum diligenter et perite excussit. quorum alterum (quod numero nunc est 4839) neglegenter ad modum scriptum est, alterum (7564) diligentius, neutrum in carmine non valde depravato magnam utilitatem adfert. unum tamen versum (45) melior codex Parisiensis emendatum praebet: nam quod apographon Vindobonense et exemplar Logi habent *nocturna pie furantem busta sororem*, id explicari potest, sed ut contorta loquendi ratio a Nemesiani consuetudine abhorreat: in deteriore libro Parisiensi *purantem* scriptum est, in meliore *CVRANTEM*, idque non dubito verum esse.

Contra nihil auxilii adferunt hi libri in alio versu, quem sine vitii suspicione me olim praeteriisse pudet. nam postquam Nemesianus de pennis lineae innectendis, i. e. de formidine qua ferae terrebantur, dixit, ita pergit (v. 309),

*has igitur vario semper fucare veneno
cura tibi niveisque alios miscere colores
alternosque metus subtegmine tendere longo.*¹

non plena est oratio, sed dicendum erat *Cura tibi sit* vel *omisso*

pronomine *Cura sit*, ut in hac tota carminis parte poeta praecepta dat et quae facienda sint docet. possumus plura conicere, *Curato, Curabis, Curabunt* (nam famuli antea commemorantur): scitius et probabilius est quod Lachmannus excogitavit, *CVRAM ATHIBE*. dixit de hac vocabuli quod est *ad* scribendi ratione in commentario Lucretiano p. 352: in hoc ipso adhibendi verbo codicem palimpsestum Vaticanum secutus Martinus Hertzius eam in Gellii libro I cap. 3 et 6 exhibuit. (*athibetur* Tac. ann. xv 4. *athibentur* Gaius III 174. *athibuerint* Gaius II 109.)

Non magis utiles sunt libri Parisienses in alia carminis parte, de qua hodie non aliter atque olim iudico, sed possum paullo accuratius disputare. versum enim 123 et sex qui eum proxime secuntur ponendos esse post versum 230 recte intellexi, sed cum in illa paginarum computandarum arte, cuius Lachmannus iam tum aliquot egregia documenta dederat, postea in Lucretii libris plane admirabile exemplum proposuit, nondum satis essem exercitatus, non potui rem per se probabilem demonstrata erroris causa corroborare. id nunc faciam breviter. itaque versus duodecimus cum in libris post quartum et vicesimum collocatus esset, suo loco a Petro Pithoeo positus est: nam quae Hertzbergius in commentariis Propertianis p. 260 de hoc versu et omnino de cynegeticorum Nemesiani exordio protulit, nugae sunt et ineptiae. ab hoc autem librorum mendo in computandis paginarum versuumque numeris progressi formam antiqui codicis ex quo nostra exemplaria deducta sunt nullo fere negotio adsequimur. incipiebat carmen in altero schedae alicuius latere sive, ut perspicue magis quam Latine loquar, in verso aliquo folio. continebat ea pagina versus xxiii, adiectusque erat in imo margine versus ille qui post undecimum scribi debuerat, sed omissus erat a librario: is igitur versus in computandis paginarum versibus non numerandus est. quae huic paginae e regione opposita erat pagina, sive secundum folium rectum, totidem versus habebat, i. e. versus xxiii. itaque hae duae paginae continebant inscriptionem, ut videtur, carminis, tum versus xxxvii et illum in margine scriptum: fiunt versus xxxvii. sequebantur paginae versuum vicenorum quinquaginta, incipiebatque pagina tertia, i. e. folii secundi latus alterum, versu 48, fiebat folium tertium versum sive pagina quinta versu 122. iam qui in nostris libris secuntur versus 123 et proximi sex,

quos in alium locum traiciendos esse dixi, in hac paginarum veteris exemplaris computatione omittendi sunt. itaque proxima paginae sextae, i. e. folii quarti recti, primus versus erat 130. ab hoc versu 130 usque ad versum 230, post quem illa septem carmina traicienda sunt, numerantur versus *ci*. finiebatur autem versu 230 pagina nona sive folium quintum versum, ita ut in una harum quattuor paginarum quas habebant folia quartum et quintum scriptos fuisse intellegamus versus *xxvi*, in reliquis tribus versus vicanos quintos. proxima pagina decima sive folium sextum rectum habebat primum versus illos septem (123—129) et deinde versum 231 et sequentes. adparet igitur septem illos versus falso loco scriptos esse propterea quod librarius qui carmen ex antiquo illo libro cuius paginas computavimus descrip^sit duas schedas, i. e. folia quartum et quintum,³⁷ inter scribendum primum transiliverat. septem illos versus si adnumeramus, inde a versu 231 usque ad versum 325, qui nunc ultimus est carminis, versus sunt *cii*, ut adpareat duas e quattuor paginis quas habebant folia sextum et septimum continuisse versus vicanos senos, duas vicanos quinos. ita versus carminis 325 ultimus erat, i. e. vicesimus quintus aut sextus, folii septimi versi sive paginae tertiae decimae. dixi haec quasi oculis vidissem: sed ita omnia inter se congruunt ut sane certa esse existimem. exposui autem hanc rem diligentius non tantum ut versus illos septem traiciendos esse me recte censuisse confirmarem (neque enim tam mihi mea placere solent ut libenter ad ea redeam), sed ut Godofredi Bernhardii quandam opinionem refutarem. nam quod vir eruditissimus in historia litterarum Latinarum p. 457 dixit, imperfectum opus videri cynegetica Nemesiani, rationem neque attulit neque poterit adferre: nunc postquam intelleximus versum qui nunc ultimus carminis est ultimum fuisse in scheda antiqui codicis, quae scheda iustum versuum numerum habebat, nihil potest esse probabilius quam periisse reliquas schedas. pariter versus qui nunc ultimus est cynegeticorum Gratii idem ultimus est schedae postremae vetusti illius codicis Vindobonensis. putabimusne hic quoque casum tam mirabiliter luisse ut imperfecti carminis ultimus versus in finem schedae incideret? existimabimus potius et Gratium et Nemesianum cynegetica sua perfecisse, sed partem eorum vetustate absumptam esse.

Denique quoniam panegyricum Pisonis supra commemoravi et incertam sane coniecturam feci carmen fortasse Calpurnii esse, huius quoque poematis minime mali emendationem proferam, quo taedium disputationis, quae in levibus plerumque rebus versata est et fere continet quae alios non vidisse magis mirandum est quam laudandus ego sum quod viderim, praeclaro invento aliqua ex parte compensem et simul scribendi finem faciam in acerba pariter atque iucunda eius consuetudinis quae mihi cum Carolo Lachmanno intercessit recordatione. nam cum vir egregius et multo quam aut inbecilli capiunt aut invidi concedunt maior per longam annorum seriem mecum communicare soleret siquid in litteris nostris quod operae pretium esset invenisse sibi videretur, neque mea qualicumque industria interdum adiuvari nollet, aliquando per litteras me interrogavit quid de his panegyrici versibus censerem (239 = 226 ss.),

Maecenas tragico quatientem pulpita gestu

evexit Varium, Maecenas alta toantis

eruit et populis ostendit nomina Graiis:

se fabularum togatarum mentionem factam esse suspicari, sed nomen poetae quaerere. respondi nullum alium poetam commemoratum videri quam C. Melissum Maecenatis libertum, quem Suetonius narrat fecisse novum genus togatarum et inscripsisse trabecatas. nulla mora interiecta hanc praeclaram et certam carminis emendationem a Lachmanno accepi; *Maecenas tragico quatientem pulpita gestu Evexit Varium, Maecenas APTA TOGATIS Eruit et populis ostendit ACUMINA GAI.*